Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Justus Valentin Stemann

Ecclesia Romana Monstrum Triceps : Ex. R.P. Theophili Raynaudi, Societ. quam dicunt Jesu, cum Sorbonista quodam Anonymo concertatione observatum, & utroq[ue] deformi truncatum Capite, Quod ipsum, una cum eiusdem Origine Et Incremento Disputationi Raynaudianae de Ecclesia Bicipiti opponit, & Disputationis Inauguralis Loco in Inclyta Rostochiensi proponit

Rostochii: Kilianus, 1659

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110206

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Pr. 130 p

51 a. 6.

1 Kunstst.

F. g-1234.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110206/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110206/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110206/phys_0006
DFG

ECCLESIA ROMANA MONSTRUM TRICEPS,

Ex R.P. THEOPHILI RAYNAUDI, Societ. quam dicunt JESU, cum SORBONISTA quodam ANONYMO concertatione observatum, & utroq; deformi truncatum CAPITE,

Quod ipsum, unà cum ejusdem

ORIGINE ET INCREMENTO

Disputationi RAYNAUDIANÆ de Ecclesiâ Bicipiti opponit,

&

DISPUTATIONIS INAUGURALIS Loco in Inclyta ROSTOCHIENSI proponit

JUSTUS VALENTINUS Steman/ Arcis Coronæb. & Ecclesiæ German. Helsingörensis Pastor Regius.

ROSTOCHII,
Sub descriptione Præli KILIANI, CIↃ IↃC LIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110206/phys_0007
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110206/phys_0008
DFG

SERENISSIMO & POTENTISSIMO PRINCIPI ac DOMINO

FRIDERICO TERTIO

DEI GRATIA

DANIÆ, NORVVEGIÆ, GOTHORUM ac VANDALORUM REGI, DUCI SLESWICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ, COMITI IN OLDENBURG ET DELMENHORST, REGI AC DOMINO MEO

Clementissimo

Humillimè

D. D. D. A.

AUGUSTISSIME REX

Domine Clementissime,

SI aut insanum prorsus, aut saltem non omninò sanũ CAPUT illud, qvotqvot sanitate mentis gaudemus incorruptâ rectè pronunciamus, qvod à membris suismet graviter convellitur ac multifariam affligitur, non poterit sanè nihil sanitatis deesse sacro illi Ecclesiæ Romanæ CAPITI, qvod ad mõstrositatem ab illâ arcendam *secundarium* ac primario *subordinatum*, aut *Visibile* etiam dici suevit ab ijs qvi ad nutum ejus ac arbitrium se svaq; omnia superstitiosè dicam? an religiosè componunt. Hoc enim non ab illis modò, qvi manifestum illi bellum indixerunt, varias accipit plagas ac contusiones longè graviſſimas, sed à membris etiam suismetipsis, ijsdemq; veris ac genuinis, utpote qvæ nexu individuo ipsi adhærent, proq; salute ejus cæteroquin, tanqvam pro aris & focis pugnant, vapulat vehementer. Usu venit hoc toties qvoties scita ac placita ejus ab his aut non admissa, aut planè improbata etiam ac excussa, profligataq; deprehendimus. Illustre ejus (ut de qvamplurimis

unum vel alterum saltem hic producam) Exemplum sistit ex *Hersfeldensi Joh. Nau clerus Tom. 2. Chronograph. generat. 7. fol. 160. edit. Tübing.* Decreverat, *inquit*, HILDEBRANDUS s. GREGORIUS VII. (Qvi tantum inter alios CAPUT extulit *Papas*, qvantūlenta solent inter viburna cupressi) cum Episcopis Italiæ conveniens freqvētibus synodis, ut secundū Instituta Canonū Antiqvorum presbyteri Uxores non habeant, habentes autem, dimittāt, aut deponantur, nec qvisqvā omninò ad Sacerdotium admittatur, qvi nō in perpetuū cælibem vitā profiteatur. Non dubitabat de decreti hujus valore ac efficaciâ vel tātillū HILDEBRANDUS, qvapropter eodē audacter per totam *Italiam* promulgato crebras etiam literas ad Episcopos *Galliarum* transmittebat, præcipiens, ut ipsi in suis Ecclesiis â contubernio sacerdotum omnes omninò feminas perpetuo anathemate resecarēt. Satis asperè qvidem hoc & severè, at non eo tamē, qvem speraverat, successu. Non enim decretum hocce Venerandi sui CAPITIS non admittebant modò membra passim generosiora, verum etiam salsè ridebant, & explodebant, unàq; cum CAPITE ac autore suo omnibus diris devovebant. To-

ta factio Clericorum adversus hoc decretum protinus infremuit (*ait Nauclerus*) hominē planè hæreticum ac dogmatis vesani clamitans, qvi oblitus Sermonis Domini, *Non omnes capiunt verbum hoc &c.* violentâ coactione homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum consuetum naturæ cursum negaret, fornicationi & immunditiæ frænа laxaret. Qvod si pergeret sententiam confirmare, malle se Sacerdotium qvam conjugium deserere, & tum visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus Angelos comparaturus esset. Mascula sanè membrorum, & tanto CAPITIS sui delirio digna sentētia, cui etiam tantâ pertinacia deinceps institerunt, ut non *Synodum* modò *Erdesurtensem*, idem illud severius proponentem, deserendam, verum etiam *Episcopum* ejus ipsum Cathedra Episcopali deturbandum decernerent, & haud ita multò post *Nuntium Apostolicum* ijsdem curis operosè intentum, in *Moguntina Synodo* ita excipērēt, ut se vita comite *Synodo* excessurum desperaret etiam. Qvod insigne profectò & prorsus memorabile est documentum reverentiæ ac subjectionis membrorum ergà CAPUT, *Clericorum* ergà *se-*

dem

dem Apostolicam, qvæ ipsi iniqva talia postulanti jure meritoq; suo debetur. Nec mitius sanè CAPITI huic, qvantumvis saniora tradenti cornua obverterunt membra qvamplurima alia nostro etiamnum ævo. Notũ est qvantâ vehementiâ adversus INNOCENTIUM X. insurrexerint haud ita pridem *Mechlinienses* Clerici: Cum enim ille, *Jansenistico* de *Gratia Irresistibili* dogmate falsitatis & hæreseos prius damnato, *Anno* M DC L. Bullam promulgaret, qvâ *Catechismo Gratiæ*, qvi Epitomẽ exhibet *Jansenianæ* hujus doctrinę, alijsq; ejusdem farinæ libellis interdicebatur, tantoperè offẽdit hoc ipso *ArchiEpiscopum Mechlinienſem* ut cum reliqvis Episcopis & Provinciæ *Generalibus* Bullam hanc sub & obreptionis argueret, mandatoq; *Papali* aliud confidenter opponeret: qvanto cum CAPITIS sui contemptu ac dolore dici non potest, nec si posset necessum est. Emisit qvidem, ut autoritatem suam vindicaret CAPUT idem, aliam contrà *Jansenitũ* constitutionem Anno statim seqventi, sed hęc eandẽ cum priori sortẽ experta est. Qvod si hanc dignè æstimaverimus, generosam utiq; membrorum ergà CAPUT hocce suũ mentẽ mir abimur impensè, ac magni etiam qva-

dam

dam sui parte faciemus, multum inde libertatis, si ita perrexerit, Ecclesiæ Christianæ pollicentes. Et hanc prę alijs CAPITIS hujus membris genuinis in *Parisiensi Sorbona* deprehendimus luculenter. Prodidit illa omnibus retrò seculis indicio non uno nec obscuro, nolle se ad qvascunq; CAPITIS sui sternutationes tanqvam sacrosanctas reverenter assurgere, & genua devotè flectere, aut Parasitos ejus cæcâ, ad instar aliorum, obedientia tolerare promiscuè. Expertus id est inter alios cumprimis *Antonius Sanctarellus*, *Societatis*, qvam dicunt, *Jesu* non sine insigni suo dedecore ac noxa. Divulgarat hic *tractatū de hæresi & Potestate summi Pontificis*, qvo *Christi & Papæ* unū docebat esse tribunal, & ideò posse hunc sine Concilio etiam Imperatores & Reges non tantum propter hæresin aut schisma, aut qvodvis aliud crimen populo intolerabile, sed etiam propter insufficientiam qvoq; personę eorum inutiles regno privare, atq; interficiendos jubere, & qvæ id generis Φορτικα ἀκέφαλα erant alia. Vix autē *Gallias* accesserat hic *Sanctarelli* libellus inq; *Sorbonā* inciderat, cum ab eadē publico edicto cōdemnatus, & veluti exitialis & pestilentissimus proscriptus est:

Hæc

Hęc *Sorboniſtarum* de poteſtate CAPITIS ſui fuit rotunda ac ſana ſatis ſententia; qvæ licet inſano *Sanctarelli* & complicum ad CAPITIS ſui nutum poſtulato rectè fuerit oppoſita, nunqvam tamen ab Illuſtri *Sorbona* promulgata fuiſſet, niſi haud parum iſti ſanitatis deeſſe cenſuiſſent, & ſtrenui antiqvæ ſuæ libertatis aſſertores, qvam propudioſa CAPITIS ſui mancipia eſſe maluiſſent *Doctores* ejus. Et hac eâdem uſi dicam? an abuſi ſunt haud ita pridem ex eorum ordine, qvi uno viſibili Eccleſiæ ſuæ CAPITE nō contenti aliud eidem adjungendum cenſuerunt, atq; ita BICIPITEM eandē reddiderunt? qvod ipſum ſicuti ab omnibus retrò ſeculis ignoratum ac inauditum perpetuò fuit, ita alteri Eccleſiæ Romanæ etiam, receptioriq; CAPITI, ſi non pręſens affert præcipitium ac extremam perniciem, inſignem tamen eidem affricat injuriam. Juréne an injuria? præſens oſtendit diſſertatio.

Tibi hanc AUGUSTISSIME REX, DOMINE CLEMENTISSIME, ſiſto, ac qva par eſt, humilitate ac devotione offero, cum, qvod non ingratam tibi fore ſperem, tum, qvod alteri eam non deberi planè perſvaſus ſim. Nam & (ſit licet ad eam

Sapi-

Sapientiæ aut elegantię ſpeciem neqvaqvã conformata, qvalem ſeculi hujus eruditio ac ſupercilum poſtulat, neq; proinde digna qvæ ad REGIAS manus veniat) CAPITIS noſtri Unici ac genuini *Chriſti Jeſu* principatum ac gloriam, cujus augmentum ac emolumentum omni te Studio qvęrere Orbi Chriſtiano pridem innotuit, vindicat ac propugnat, & ab ejus proficiſcitur induſtria, qvi pręter te CAPUT in hiſce terris VISIBILE aliud pari pietatis affectu nullum agnoſcit; Accipe igitur, qvod tuũ eſt, DOMINE CLEMENTISSIME, & eâ qvidem qvâ tua, tuorumq; ſoles Studia fronte, ſerenâ ſcilicet, & Clementi. Exporrigat eam, qvi obductam voluit hactenus ſancto & ſecreto ſuo conſilio, Deus T. O. M. Servet idem porrò tibi, Auguſtiſsimæq; ſtirpi, qvod CAPITI tuo indulſit Clementer, Diadema Regium; Extollat etiam exaltetq; Sacroſanctum illud, qvod veneramur meritò, CAPUT tuum, ac ſub eodem *Membris* afflictiſſimis & *Corpori* Univerſo ſuam, qvam anhelat, integritatem ac virtutem priſtinam largiatur poſtliminiò qvam Clementiſſimè, diutiſſimè. Ita ex penitiſſimis animi receſſibus voveo:

Tu Deus exaudi, Deus audi hæc Vota benignè!

BENEVOLO LECTORI S. P.

ANnus hic decurrit jam Sextus, ex quo in THEOPHILI RAYNAUDI Jesuitæ Tractatum de ECCLESIA BICIPITI inter Academica studia incidi: Evolvi eundem protinus magnâ animi, quâ rapimur in obvias quascunq; Novitates ut plurimum, lubidine. Quod dum feci accuratiùs, examen simul aliquod ejusdem & modestam censuram meditari cæpi; Nec id quidem, nisi me planè fallit animus, immeritò: Deprehendi enim isthîc Cadmæorum inter se prælia fratrum, Pontificiorum, inquam, non ignobilium satis acres concertationes, easdemq; non de Lanâ fortè Caprinâ, aut Asini etiam umbrâ, sed de ipso Ecclesiæ suæ Capite: Atq; hanc aptam Academicis Exercitationibus judicavi materiâm, sed nec indignam, quæ Ecclesiæ nostræ spectanda quasi è theatro proponeretur, ob tela cumprimis satis fortia, quæ hîc ab ipsis Romanensibus nobis ultrò, in Capitis sui Visibilis perniciem suppeditantur. Visum igitur, quæ hanc in rem consignata erāt literis, non tam mihi, quam alius quibusdā magnæ eruditionis ac existimationis in Ecclesiâ viris in publicū producere, ac more Academico disputationibus quibusdam comprehensa ventilationi Doctorum submittere. Nec mora; Factum est ejus initium, Origine & Incremento Monstri hujus disquisitioni publicæ proœmii loco permisso ac præmisso. Cæterà in eâdem palæstrâ adjicere ordine decreveram; At manum de tabulâ jussit Optimus Max. sortium nostrarum & Imperator & Temperator Deus; In vineam ille me suam, quamvis non otiosum in foro deprehensum, extrudebat verè, vocante SERENISS. ac POTENTISSIMO Daniæ, Norweg. &c. REGE FRIDERICO TERTIO, Domino meo Clementiss. ad sacrā Ecclesiæ Arcis & Urbis Helsingorensis curam. Quid facerem? πρὸς κέντρα λακτίζειν nec debui, nec sanè volui, paratus perpetuò, quò mecunq; fata traxerint, aut retraxerint, oculo sequi irretorto; Abrupi igitur Academicam, quam exorsus eram, telam, & ut spartam, quam nanciscebar, decenter ornarem, dabam operam, quam quidem poteram, maximam. Jacebat interim Monstrum hocce penes me, quâ sui parte elaboratum erat, situ tantum non & squalore obsitum, ac frustrà nitorem ac lucem sibi debitam promittebat: Nam & aliis distinebar id temporis occupationibus, & Typographica, cui illud destinarem exprimendum, officina aberat longiùs. Unde factum etiam, ut non semel æternis tenebris noctiq; perenni illud adjudicaverim. Non licuit autem mihi per amicos adeò esse severo ac inclementi eidem; Certatim illi Monstrum hocce, quasi debitum publicæ luci deposcebant, & nonnulli blandis quidem initiò verbis, alii verò imperio, quod detrectare pro-

re prohibebat religio, satis acri ac aspero, omnes manu quasi factâ & pertinaciâ inexpugnabili; Atq; ita parui vel tandem, ne si non meæ, illorum tamen autoritati derogare quidquam velle viderer; & quod deerat Monstro huic horis succisivis supplevi; post, ut alibi eò prodiret emendatiùs eleganter descripsi, ac ad tabellarii curas tralatitias composui; Quod dum paro, Ecce Classicum belli Eheu! feralis, quo totius etiamnum septentrio, dicam an? orbis concutitur, armorumq; strepitus perterricrepos ixaudio; Obstupui, steteruntq; comæ, & vox faucibus hæsit! Vix me collegeram, Et, Apage, inquam, Monstrum horrendum informe ingens; satis jam Monstrorum emerget passim; Non defensoribus istis tempus eget; Aliam hæc ætas vitam, alios mores postulat; Aliam hæc Hydra clavam, alios Hercules requirit. Sic abjeci Monstrum, deq; ejus assumptione imposterum, spatiis rursus exclusus iniquis, ferè desperavi. Sed & hanc haud ita multò post mutavi sententiam. Fecit enim, post multa negotia nescio quæ mihi otia, certè nunquam sperata, nedum expetita Mars pariter & Mors, truculentissimæ, inq; præsentissimam generis humani perniciem natæ beluæ; Colluctatus eum hisce aliquandiu ancipiti sanè & planè dubiâ palmâ, cedere tamen postremum non animo quidē sed corpore cogebar, amissâ, aut ereptâ potiùs potissimâ animæ prius, cui eam sacraveram, parte. Quod ipsum postquam Regi ac Domino Meo Clementissimo, quâ par est, reverentiâ, & humilitate significaveram, ac Regiam ejus circa me dispositionem requisiveram, voluit me sibi, quâ est Clementia, rebusq; servare secundis, ac propterea dimisit quam Clementissimè Rostochium (quod præ aliis locis hospitium mihi meisq; ad tempus selegeram) ibidēq; ad obsequia sua paratū me subsistere jussit. Sicuti verò cæterus meus consilius, ita Monstro cumprimis huic peropportunum illud accidit; Hoc enim non è latebris modò suis hâc occasione protractum, sed & revisum, & emendatum & prælo postmodum (ne commodam hanc occasionem consultò negligere viderer amicis ad hasce curas denuo me sollicitantibus) subjectum: Puncta etiam illius priora disputationis Inauguralis loco, Academicis ritibus Academicas meas, ad Academias insperatò redux attemperans operas, ibidem proposita; Cætera, quæ intrà breve, quod tunc permittebatur, spatium non poterant commodè, postmodum subjuncta: Atq; ita Monstrum hocce Triceps per varios tandem casus, per tot discrimina rerum, in hancce formam adolevit, inq; lucem prodiit. Ecclesia, inquam, Rom. Monstrum Triceps;
» Alio libenter eam nomine dignarer, si per ipsos ejusdem Antistites ac filios, ceu videri volunt, genuinos, modò liceret: Plura illi uno Ecclesiæ suæ affingunt Capita ad unum omnes; Et nonnulli quidem tria, Paulum, Petro & Christo adjungentes; cæteri verò bina saltem; Paulum ab hocce honore secernentes; Faciunt eo ipso

eo ipso vel Bicipitem vel Tricipitem Ecclesiam, utrinq; verò Monstrosam, dum uni eidemq; corpori uno plura assignant Capita; Quod ipsum uti sanctissimo Christi corpori insignem affricat deformitatem, ita Ense meritò rescindendum fuit, ne pars adhuc sincera traheretur in eandem erroris abyssum. Atq; huc omnes meas curas impendi, omnes nervos hîc intendi. Quo successu judica, quisquis cœlestis Veritatis & cultor & assertor es. Tanti quidem hæc, fateor, non sunt, ut applausum tuum mereantur; absit, ut illum hoc pacto vel captem, vel sperem etiam; non tamen adeò prorsus frivola esse credo, ut atro ea carbone notes, aut levi etiam sibilo ad Anticyras releganda censeas. Censebunt quidem ita scio οἱ ἐξ ἐναντίας Quinimò ab hisce præter mera convitiorum, probrorum, criminationum, aliorumq; malæ linguæ fulminum plaustra nihil mihi polliceor; Verum enimverò tantum abest, ut hæc ego reformidem, aut ægrè, si ubi impacta fortè fuerint sim laturus, ut non aliud etiam majus aut gloriosius laboris, quem hîc insumpsi, præmium me referre posse existimem. Testificabuntur enim ipsimet hoc ipso vel inviti, invenisse se hîc morsus, quamvis sine sanguine, non sine dolore ac periculo tamen, imò cum præsenti causæ Capitisq; sui discrimine conjunctos. Quod ipsum si obtinuero, sugillent, carpant, convitientur debachentur quantum volent; non sanè pluris eos faciã quam levia atq; aculeis suis exuta solemus crabronum examina, quæ bombus ac strepitu nonnihil quidem afferunt molestiæ, morsibus verò ac puncturis noxæ faciunt nihil; Quin laudi potius quam probro mihi ducam in reprehensiones acerrimas licet hujuscemodi malevolorum, ac malè sentientium incidisse. Satis mihi, si bonis ac piis saltem non displicuerit, quem hîc impendi, qualuscunq; labor: Equidem non diffiteor in eodem, aut certè non admodum dissimili ante me occupatos fuisse nostratium quamplurimos; Atq; hinc non est quod mireris, Lector Benevole, si hîc inveneris nonnulla, qualia apud alios etiam: Neq; enim video, quî per adversarios, quibuscum mihi res est, potuerim aliter; Veteres illi inerustant passim errores, dum novos introducunt ac propugnant; eâdem quâ pridem alii, turpitudinem suam cerussa inducunt; iisdem cum decessoribus suis adversum nos utuntur armis; Quod ipsum si licet illis impunè adversus veritatem, quidni mihi pro eadem? Per Augustum illum Hipponensium Episcopum sanè cui lubet id licet. Excusat ille non modò ejusmodi scriptores, sed & impensè laudat, magnamq; eorum copiam exoptat: Optandum est, inquit, ubi hæreses vigent ut quicunq; aliquâ scribendi facultate pollent, ii scribant omnes, etsi non modo de rebus iisdem scripturi sint, sed eadem etiam aliis verbis fortasse scripturi; Expedit n. ut hæretici intelligant in castris Catholicorum non unum

num vel alterum esse, qui cum eis adversâ fronte audeant congredi; Illud præterea ex multorum scriptione commodum accidit, quod brevius & facilius libri ipsi Catholici ad manus omnium deferuntur, & cum alii in alios incidant, omnes tamen armis iisdem in communi periculo instruuntur *lib. 6. de* Trinit. *c. 3. &* contrà mendac. *c. 6. Quod prudens* Venerandi Patris *effatum* Rob. Bellarminus Cardinalis, *illud* non tam purpuræ, quam ævi sui decus eximium (*quo illũ Elogio* Jesuitæ *identidẽ exornant*) *non cõmendat modò, verum etiã Exẽplis Vet.* Patrum *cõfirmare dignatur.* Ariana, *inquit*, hæresi quondam grassante scripserunt accuratè & copiosè tùm Græci, tùm Latini propemodum infiniti, Athanasius, Basilius, Epiphanius, Didymus, uterq; Gregorius, uterq; Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius Beticus, Idacius Clarus, Fulgentius & alii. Ita verò conveniunt inter sese, & quasi conspirant, sive testimonia scripturæ pro Catholicâ fide adducant, sive ad hæreticorum argumenta respondeant, ut eadem omnes repetere & inculcare, & omnes etiam ab uno aliquo accepisse videantur. Neq; id illis vitio verti solet aut potest. Nam quod multi scriberent, causa erat ardor fidei, & zelus religionis, quem in eorum pectoribus Sp. S. accenderat: Quod eadem scriberent, inde fiebat, quod antidoton veneni ejusdem, ex eodem fonte, eodem spiritu hausérant, & ex iisdem præsidiis, adversus hostes eosdem, de possessione eâdem, eodem autore ac Duce Deo pugnabant; Quod si Vet. illi, *pergit* Bellarminus, tanto ardore, tum ipsi scribebant, tum alios ad scribendum provocabant, cum unâ vel alterâ hæresi orbis terræ laboraret, & inter hæreticos non admodum multi scriberent, & nondum ars Typographica excogitata esset, Quid hoc nostro seculo fieri par esset?, &c. præfat. ad Tom. 1. dispp. de Controv. fid. Christ. *Quod si idem fortè sentis*, Lector Candide, *eâdem etiam dubio procul fronte hæc qualiacunq; suscipies, benevolâ scilicet ac facili; Ita vale, & minutias, parerga, parhermenias à controversiæ capite remotiores, quotquot in* Raynaudo *occurrunt, procul hinc ab instituto ac curâ nostrâ esse postremum scito; Cumprimis autem sanctissimum mecum Numen devotis ardentibusq; precibus sollicitare perge, ut turbulentis hisce calamitosissimisq; temporibus securam tranquillitatem, & quietam felicitatem restituere postliminiò pro Clementiâ sua inexhaustâ non dedignetur. Fiat*, O JESU! *fiat! Scripsi Mense Novembr. Anni Æræ Christianæ vulgatæ M DC LIX.*

T. O.

J. V. Steman.

HIERARCHIAM Ecclesiæ Romanæ modernam cum eâ, quam Ἀρχιερεὺς καὶ πάμμην τῶν πατέρων ὁ μέγας adornavit initio, & per Apostolos suos propagavit, accuratius aliquanto collaturi, Immane profectò & tantum non stupendum discrimen animadvertemus. Tot enim illa sibi fabricavit ordines, tanta sibi vendicavit jura, tales q3 paulatim fecit progressus, ut τοῖς βασιλεῦσιν τῶν ἐθνων πᾶς κατακυριεύσιν, quam optimo CHRISTI & Apostolorum Regimini similior videatur. Robertus Bellarminus *septem diversos Ecclesiæ suæ ordines recenset propugnatq3 mordicus lib. de Clericis. c. 12. Sunt isti* sacerdos, diaconus, subdiaconus, Acoluthus, Lector, Exorcista, Ostiarius *ex cap. Cleros dist. 21. Hos omnes dispescit in* Majores & Minores: Minores *dicit esse quatuor*: Ostiaratum, Lectoratum, Exorcistatum & Acoluthatum. *Majores sunt tres isti:* Subdiaconat9, Diaconatus & Presbyteratus: *Inter Presbyteros multos porrò gradus commenti sunt ipsius complices; sunt inter eos scilicet alii simpliciter* Sacerdotes, *alii*, Archipresbyteri *alii* Chorepiscopi: *His majores* Episcopi, Archiepiscopi, Metropolitæ: *Et suprà hos porrò eminent* Patriarchæ, Cardinales, *quorum omnium* CAPUT *ac* PRINCEPS, *totius q3 simul quâquâ patet* ECCLESIÆ CATHOLICÆ Pontifex Romanus: *Hi sacri Ecclesiæ Romanæ sunt ordines: Hi splendidi isti quibus tantoperè superbiunt, sunt tituli: Et per hos tanquam per certos gradus ad sublime, quod etiamnum tuetur, fastigium ascendit ambitiosus ille* Romanus Præsul. *Neq3 enim in uno statim momento ac per saltum quasi quendam ex Episcopo Romano* PAPAM *h.e. supremum totius orbis Christiani in spirituali-*

THES. 1. Ordines Ecclesiastici ministerii varii.

ritualibus pariter ac temporalibus Monarcham ac Dominum factum esse censendum est; Minimè verò: Nam ut non uno eodemq; momento ingens arbor de furculo prodit, nec fœtus ad maturitatem ac perfectionem suam protinùs deducitur, sed sensim per numeros, perq; certa graduum incrementa: Sic & ille per gradus quasi quosdam ad illud tam immane fœ potestatis cacumen ascendit, & paulatim diversis se occasionibus offerentibus, perq; partes quasi acceptis subinde incrementis ex informi imbecilloq; embryone invalidum & maturum fœtum adolevit, tandemq; exactis temporibus partus ille infelix & monstrosus totiq; feralis Ecclesiæ ex utero in lucem prodiit. Ubi primum in singulis urbibus unus creatus est Episcopus *cæteris suis collegis ac compresbyteris major, ex eo cœpit & Romanq; Episcopus urbis suæ beneficio primus inter Episcopos existere. Post ubi* Archi Episcopi *i.e.* Metropolitani *in singulis provinciis primi provincialium facti sunt, Romanus etiam Episcopus inter Metropolitanos primatum adeptus est, ob Urbis & provinciæ Romanæ dignitatem. Ubi verò supra Metropolitanos evecti sunt* Patriarchæ, *ille ut primus scilicet! Patriarcharum atq; illis superior, eandem quoq; sibi in eos procedente lapsu temporis vindicare voluit potestatem, qualis Episcoporum fuerat supra Presbyteros: & ita per hos sensim gradus atq; ordines eorundemq; præcipuè abusum ad πρωτεῖον illud ἀρχοντικὸν devolutus est. Quid de gradibus illis & ordinibus variis sentiendum sit, dispiciemus ante paucis, quam ad ipsum controversum illud & vexatũ Ecclesiæ Romanæ* Caput *progredimur. Hos enim si nec jure divino introductos, nec Apostolica praxi confirmatos probaverimus, non poterit illud non præcipitari ac pessum prorsus ire, suaq; simul ruinâ integram Romanæ Hierarchiæ compagem involvere.*

Et ex illis quidam ab ipso Christo instituti.

§. 2. *Atque ut ab ipso genuino Ecclesiæ* Capite *ac* Domino *ejusdemq; Regiminis Ecclesiastici, quam adornavit formâ exordiamur: notum est, multos ab ipso etiamnum superstite ad lectos esse Ministros quorum operâ in ædificando gubernandoq; corpore suo mystico quod est Ecclesia, uteretur. Primi inter istos & potissimi omnium*

omnium sunt οἱ καθ' ἑξοχὴν *ita dicti* Apostoli δώδεκα. *Nomina eorum juxtà cũ serie qui nosse cupit accuratiùs, is præter illa* Matth. 10. *evolvat* Hieron. *in* Catal. Script. Eccles. Eusebium *passim.* Nicephorum *lib* 2. *Hist. Eccles c.* 21. Centuriatores *Magd. tom.* 1. *l* 2. *c.* 20. *& alios. S Evangelistæ non uno quidem omnes ordine, iisdem tamen singulos nominibus recensent, suntq; juxtà illos Primus Simon* Petrus *&* Andreas *frater ejus:* Jacobus *filius Zebedæi &* Johannes *frater ejus:* Philippus *&* Bartholmæus: Thomas *&* Matthæus *ille publicamus:* Jacobus *Alphæi &* Lebbæus *cognominatus* Thaddæus: Simon Cananites *&* Iscariotes ὁ προδότης χειρὸν. *Hos ex tanto discipulorum numero solos sibi adscivit Dominus: Hos individuos voluit habere secum comites, ut jugi familiaritate verbisq; & factis optimè instructos ad prædicationem Evangelii emitteret tanquam oculatos & auritos vitæ doctrinæq; suæ testes juxta illud Johannis* 15, 27. *&* Act. 1, 8. *Et ea propter in domesticum etiam consortium ac cohabitationem Christi illos admissos esse asserit* Chrysostomus *in Act. Homil.* 1. *& ante ipsum* Tertullianus *de præscript: Postquam igitur satis gnaros mysteriorum suorum & ad docendum aptos reddiderat Salvator, ablegavit eos protinus ad varias Judææ civitates, ut præconio Evangelii viam sibi pararent, ceu constat ex Matth.* 10, v. 6 *Primam tamen eorum curam ultrà Judææ terminos se non porrexisse patet ex eo, quod ad viã gentium ire sunt prohibiti, ac μᾶλλον πρὸς τὰ πρόβατα ἀπολυλῶτα οἴκε ἰσραὴλ ire jussi* v. s. l. c. *Quos tamen limites sustulit Dominus in altera post Resurrectionem ablegatione: Tunc enim jussit eos πορεύεσθαι εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, καὶ πάσῃ κτίσει κηρύττειν τὸ εὐαγγέλιον Marc.* 16, 15. *aut ut* Matthæus *id exponit,* Μαθητεύειν πάντα τὰ ἔθνη καὶ βαπτίζειν *&c. c.* 28, 19. *Promissionem quoq; dedit illis de* λήψει δυνάμεως ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος *Act.* 1, 8. *de* βαπτισμῷ ἐν πνεύματι ἁγίῳ v. s. *deq; potestate* θαυματουργικῇ *Marc* 16, 15. *quæ utraq; impletæ fuit ipso Pentecostes die, quo visibili Sp. S effusione ad summum Apostolatus officium solemniter inaugurati sunt Act.* 2, 1. *seqq.*

1. Apostoli 12.

§ 3. Sunt igitur hi XII. Apostoli non vulgares saltem nuntii aut שלוחים quales inter judæos quilibet dicebantur promiscuè, sed sunt πεμπόμενοι cum insigni aliquâ potestate & auctoritate. Misit eos Christus Joh. 20,21. ceu mitti solet ad provinciam administrandam Proconsul, ad Israelitas ex Ægypto redimendos Moses, quà Reges, judices, servatores ubiq; mitti â Deo dicuntur, quoties cunq; ad ἀρχὴν quandam divinitus admoventur; Misit eos Christus καθὼς ἀπέσταλκέναυτὸν ὁ Πατὴρ Joh 20,21. Jam vero miserat Pater filium, ut dederit ipsi judicium, Joh 5,22. ut potestatem dederit remittendi in terris peccata. Matth. 9,6. ut claves filio dederit Matth. 16,19. Apoc 3,7 &c. Hàc ipsâ quoq; potestate ac authoritate Apostolos suos instruxit Christus. Dedit eis judicium Matth 19,28. Dedit claves Matth.16,19. Dedit etiam quasvis alias, quotquot ad Ecclesiam ritè gubernandam faciunt ἐξοχὰς. Et has ita partitus est inter eos supremus ille Ecclesiæ gubernator ac Monarcha Christus, ut nihil cuipiam singularis præ cæteris seorsim commiserit. Nimirum æquales omnes potestate ac dignitate voluit esse: Primatum obtulit nemini, quin de isto contendentes aliquando severè objugavit. Luc. XX,25. Æqualiter omnibus dedit omnia: Omnibus claves Joh. 20, 23. Omnibus τὸ ποιμαίνειν Matth 16,15. & c.28.19. Omnibus εἶναι ἰσομελίας Apoc. 21,14. Ephes. 2,20. 21.

§. 4. Nec ipsa quoq; praxis Apostolica ullam arguit inæqualitatem, ullum Principatum ac dominium unius in cæteros aut præ cæteris, aut quorundam in aliquos. Omnes inter se fuerunt fratres Act 12,17. Paulus ille postremus & extraordinem cooptatus Apostolus in nullo minor τῶν ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλων 2.Cor.11,5. c 12,11. & à nullo hominum dependens Gal. 1,1. Nihil istis modestius excogitari posse nemo poterit inficias ire, qui acta eorum penitiùs introspexerit: Ubi sufficiendus in locum Judæ proditoris Matthias erat, concepta â Petro, qui Os (teste Chrysostomo in Joh. Hom 88. & in Act. hom. 4.) erat cæterorum, oratio omnibus tribuitur: Nam προσευξάμενοι εἶπον, ἔδωκαν κλῆρον &c. Act. 1,24.26. Audita Samaritanorum conversione Petrum Johannemq; ἀπέστειλαν πρὸς

αὐτὸς

αὐτὸς Ἀπόστολοι *Act.* 8,14. *Assumptum Paulum* ἦγαγε πρὸς τὸς Ἀποστόλους Βαρνάβας *Act.* 9,27. *Baptizato* Cornelio *facti sui rationem reddidit* Petro *fraternitati Act.* 11,4.18. Antiochiæ *Eleemosynas suas per* Barnabæ & Sauli *manum* πρὸς πρεσβυτέρους ἀπέστειλαν *ibid: v.* 30. *De segregandis* Barnaba & Saulo *ad Antiochenæ Ecclesiæ Doctores directum est Spiritus mandatum Act.* 13 3. *Congregatæ Ecclesiæ* Barnabas & Paulus *quæ gesserunt narraverunt Act.* 14,27. *Dissidentes Antiocheni* ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν *Act.* 15,2 *ac mox* συνήχθησαν οἱ Ἀπόστολοι *ibid.v.*6 *Titulus Epistolæ præfixus communissimus est:* Οἱ Ἀπόστολοι καὶ &c. *ibid.* 23. *communissimus item Epistolæ sermo est* ἠκούσαμεν *ibid.* 24. ὡ διεστειλάμεθα *v* 24. ἔδοξε ἡμῖν γενομένοις ὁμοθυμαδὸν *v.* 25. ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ὑμῖν *v.* 28. & *quæ similia* ἰσοβαθμίας *ac omnimodæ æqualitatis documenta passim prostant.*

§. 5. *Et hæc tã clarà luce radiant, ut expressam hanc Æqualitatẽ Apostolicæ potestatis Veneranda semper agnoverit Antiquitas, nec pauci etiam ex ipsis* Petro-Monarchitis. Chrysostomus *in Act.a* Hom. 3. *de Petro & Apostolis reliquis ita loquitur;* Μετὰ κοινῆς πάντα ποιεῖ γνώμης (*Petrus sc.*) οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδὲν ἀρχικῶς: τῷ πλήθει τὴν κρίσιν ἐπιτρέπει &c. *Hom.* 14. κοινῇ πάντες εὔχονται &c. *Hom* 14. ὅρα καὶ αὐτοὶ μεθ' ὅσης ὑποσολῆς φασὶν, οὐχ ὡς ἐπίσκοπος αὐθεντικῶς διαλέγεται, ἀλλ' αὐτὸν προσλαμβάνουσι κοινωνὸν τῆς γνώμης &c. *Idem* Cyprianus *tract 3. de* simpl. Prælat, *i.e. de Unit. Ecclesiæ; Loquitur,* inquit, *Dominus ad Petrum Matth. 16. Ego tibi dico, quia tu es Petrus &c. Et idem post resurrectionem suam dicit, Pasce oves meas &c. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat Joh. 20 Sicut me misit pater, sic ego mitto vos, Accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis &c. tamen ut unitatem (Ecclesiæ sc.) manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ authoritate disposuit. Hoc erant Utiq; & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Quod aureum* Cy-

priani *effatum egregiè vindicavit M.* Ant: de Dominis *lib.* 1. Reip. Eccl. *c.* 7. *num*: 18. *seq. Idem* Cypriani *dictum habet &* Anacletus *Romanus Pontifex seu quicunq; ille, qui Epistolas illas spurias concinnavit: Ubi inter alia, Cæteri,* inquit, *Apostoli cum eodem (Petro sc.) pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumq; Principem eorum esse voluerunt* Epist. 2. & habetur. dist. 21. c. *in Novo. Ita author harum Epistolarum Episcopum Romanum* Cypriani *dictis imbutum, iis tamen paululum immutatis facit eloqui; Et sanè paritatem inter Apostolos negare non est ausus: aliquem verò primatum temporis potius & ordinis ac dignitatis Petro tribuit quam potestatis: & talis quidem dignitatis, quam ferè dicat non à Christo sed ab Apostolorum consensu & voluntate profectam.* Præclarè *porrò de hac Apostolorum æqualitate* S. Hieronymus *lib.* 1. *in* Jovinum; *ubi sic loquitur: Johannes & Jacobus quia plus cæteris petierunt non impetrarunt, & tamen non est dignitas eorum imminuta, quia reliquis Apostolis (Petrum non excipit) fuerunt æquales. Quod ipsum aliquoties in eodem libro repetit ac inculcat. Nec hilum ab* Hieronymo & Cypriano *dissentit* S. Hipponensium Antistes Augustinus, *quin idem omninò verbis saltem aliquot immutatis affirmat, dum* ait *lib.* de Agon. Christiano *c.* 30. *Non sine causa inter Apostolos omnes hujus Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus: Huic enim Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, cum* Petro *datæ sunt & cũ ei dicitur,* Amas me? Pasce oves meas, *ad omnes dicitur;* Idem *alibi passim Arietes, Pastores gregis, membra Pastoris, duces ovium vocat Apostolos, quo ipso æqualitatem omnium ab ipso indigitari, quis quæso dubitaret?* Evidenter *denig; (ut reliqua Venerandæ Antiquitatis testimonia non producam) idipsum testatur* Ambrosius lib. 2. sub *finem de Spiritu S. dicens: Una gratia fulgebat in his quos Spiritus unus elegerat: Nec Paulus inferior Petro quamvis ille Ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens Architectus sciens vestigia credentium fundare populorum. Nec Paulus indignus Apostolorum collegio cum primo quoq; facilè conferendus & nulli secundus.*

cundus. Nam qui se imparem nescit facit æqualem Theophylactus *in Ep. ad Gal 1, 2.*

§. 6. *Hæc omnia pro Apostolicâ æqualitate tam sunt manifesta documenta, ut ex acerrimis etiam* Petrinæ Monarchiæ *assertoribus quidam id ipsum agnoscere vi veritatis sint coacti, aut miserè saltem se torquere, seu potius ineptire, sicubi declinare istud tentarunt. Sanè* Cajetanus *(at quantus ille, quãq; severus* Hieromonarchiæ Petrino-Romanæ *hyperaspistes!) suomet exemplo id ipsum evidenter comprobat* tract. de autorit: Papæ & concil. c. 2. *Quatuor isthic primum affert distinctiones variorum, qui nec æqualitatem Apostolorum volunt labefactare, neq; Petri tamen auctoritatem non tueri simul:* Prima, *inquit, distinguit potestatem ordinis & jurisdictionis.* Secunda *dicit quod omnes Apostoli fuerint in potestate jurisdictionis pares i.e. similes.* Tertia *declarat & est* S. Thomæ *in sec. 2 q 33. art. 4. ad 2. Quod fuerint pares in aliquo, quantum ad fidei defensionem.* Quarta *est ejusdem super* Epistolam ad Gal. 1, 2. *quod Apostoli fuerint æquales quantum ad executionem authoritatis. Ait enim: Apostolus scr: Paulus fuit par Petro in executione autoritatis, non autem in auctoritate regiminis. Ex his autem omnibus nulla satisfacit* Cajetano. *Quapropter omnes ceu inutiles expungit & nodo huic Gordio suũ aptat ensem. Videamus quid tandem præstet:* Dicendum *inquit.* quod Apostoli inter se possint comparari dupliciter: Primò in quantum Apostoli: & sic omnes fuerunt æquales: Alio modo in quantum oves Christi, a beo hîc corporali conversatione separatæ, & sic Petrus solus est Pastor & reliqui omnes Apostoli oves sub illius curâ. *Hac suâ distinctione rem omnem abundè expeditam, & Petrinam autoritatem egregiè assertam opinatur bonus ille* Cajetanus; *sed opinatur saltem, nihil verò minùs quam illud præstat. Certè si unquam aliàs hîc cumprimis hæret & ineptit immane quantum, nec æqualitatem Apostolicæ potestatis evertere se posse reapse prodit. Quid enim? Annon satis id est quod ultrò largitur, Apostolos nempè, in quantum Apostolos,*

stolos, inter se æquales esse? Si enim in quantùm Apostoli æquales inter se sunt Apostoli, qui quæso potestate sibi possunt non æquales esse Apostoli? Aut hoc mihi largire Cajetane, *aut fatere Apostolos in quantum oves, ut tecum loquar, potestate aliquâ ac autoritate publicâ in Ecclesia pollere: Quod si facis, non sanè video, qui possis vel hancce tuam distinctionem tueri, vel duplicem eandemq; diversam potestatem ac jurisdictionem in Apostolis non agnoscere; Quod utrumq; non facilè credo admittes: Esto igitur; fuerint Apostoli privatis rationibus secluso Apostolatu, quatenus oves Petro subjecti: certè si non fuerunt tanquam Apostoli, tanquam pastores & gubernatores Ecclesiæ ei subjecti, nullam habebis Monarchiam, nullam inæqualitatem potestatis ac jurisdictionis. Esto porrò* Cajetane; *fuerint Apostoli in quantum oves Petro subjecti; hoc certè negare mihi non poteris, quin ratione Apostolatus hoc Petro fuerit concessum, ut nimirum omnes oves ei fuerint commissæ: Absurdus enim fores si Petro, in quantum & ipse ovis est hoc demandatum diceres. Quod si verò hoc largitus fueris, profecto non potes, quin ipsum etiam Petrum eâdem ratione reliquis Apostolis subjicias: Nam ut in his haud secus quam in isto Apostolatus, sic in hoc non minus quam in illis distinguitur ovis & Apostolatus: Tam inepta est tua, quam affers, distinctio* Cajetane! *si nolis velis, cogeris fateri nullam inter Apostolos dari potestatis inæqualitatem!*

§. 7. *Eandem confessionem* ἰσοδυναμίας *Apostolicæ deprehendimus passim apud* Bellarminum *ipsum* τὸν ὑπερλίαν *fastigii Papalis assertorem. Is enim dum ponit supremum apicem Hierarchiæ Ecclesiasticæ terrestris in Romano Pontifice, conatur eum stabilire ex illis Apostoli* Eph. 4. *Et ipse dedit quosdam Apostolos &c. Quod ut eò succederet felicius,* summa, *inquit,* potestas non solum data est Petro, sed aliis etiam Apostolis: Omnes verè poterant dicere illud Pauli: instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum 2. Cor. 11. *Idem porrò concedit quin & probat* lib. 4. de Rom. Pont. c. 23. Totam plenam jurisdictionem regendi Ecclesiam omnes Apostolos æquè & im-

& immediatè habuisse, confirmatq; testimoniis Cypriani, *Electione Matthiæ Act.* 1 *ex Paulo ad Gal.* 1. *ejusdemq; dictis & gestis* 1. *Cor.* 5. 6. 7. 11. 12. 14. *Pergit confiteri* Bellarminus *hanc Apostolicam æqualitatem lib.* 1. *de* Romano Pontifice *c.* 12 *Fatemur*, inquit, *Apostolos fuisse pares in Apostolicâ potestate, & habuisse in populos Christianos eandem omninò autoritatem; subjungit tamẽ, sed non* fuerunt, *inquit*, pares interse: *Quo ipso quid sibi velit* Bellarminus *fateor me non videre, nisi quod ipse sibi manifestè contradicat: Nam vel comparantur hîc inter se Apostoli ratione Apostolatus, quâ ratione considerantur in ordine ad populos Christianos, vel aliquâ aliâ ratione: Non aliâ; quia non affertur, nec si afferretur foret ad rem: ut quod v.g. unus senior sit, alter junior; unus promptior, alter tardior; unus nobilior, alter vilior &. hæ enim, & si quæ similes privatæ conditiones, non faciunt ut propriè & verè unus alteri subdatur & subjiciatur: Manet igitur, quod ratione Apostolatus inter se conferantur: Quod si igitur ratione Apostolatus comparati ad populos omnes, prorsus sunt in potestate æquales, cur eidem Apostolatui nihil addendo nihil detrahendo etiam inter se non erunt pares?* Sic Bellarminum etiam â se potius *quam abs nobis habemus dissentientem: Plures tamen hîc nectit tricas, quas hîc extricare nostri non est instituti. Nos enim heîc de hisce per puncta saltem hæc notamus, quæ post per lineas extendemus. Sufficiat hîc æqualitatem Apostolicam, quæ ex instituto divino manavit, inq; praxi Apostolicâ perpetuò duravit, digito saltem indicasse.*

§. 8. *Et hanc nos æqualitatem ita propugnamus, ut non omnem tamen inæqualitatem prorsus velimo impugnatam ac eversam: Minimè verò omnium: Agnoscimus libenter aliquem inter Apostolos primatum; fatemur eminere unum præ cæteris haud inviti: Quin ipsi Petro audacter* πρωτεῖον *non unum, nec unâ de causâ, asserimus. Hoc enim si detrectaremus, næ in ipsum non modò Petrum, sed in omnes simul Antiquos pariter ac novitios Ecclesiæ Doctores essemus injurii. Quis enim nescit, ipsum Apostolorum*

 Prin-

Primicerium, summum ac maximum vocari identidem? *Quis illa* Græcorum *præclara de Petro encomia ignorat? Certatim illi in laudes ejus assurgunt, & plenis buccis eum pronuntiant* κορυφαίοτατον τῶν πιμανικῶν θεόνων, τὸ ἄρρεν τῶν Ἀποστόλων ἀληθῶς, κορυφαίαν καὶ πρεσβυτάτην τῶν θεολόγων ἀκρότητα, κεφάλαιον τῶν Ἀποστόλων, *sicut Elias* τῶν προφητῶν *&c. & ejusmodi præclaris titulis quamplurimis nobile hoc regni cœlorum sidus ad* sidera tollunt. *Facit idipsum* Eusеb. *lib. 7. Hist. Eccl. c. 13. Optatus Milevit. lib. 2. contra Parmenianum & lib. 7.* Origines *hom. 2. in diversos.* Cyrillus *Hierosolymit. Catech. 1. & Catech. 12.* Hieronymus *de viris illustr. in Petro, & lib. 1. adv. Pelagium.* Chrysostomus *hom. 55. & 83. in Matth. & lib. 2. de sacerd.* Theodoretus *epist. 86. apud* Baronium *tom. 5. Annal. ann. 439. n. 43.* Cyrillus Alexandrinus *& alii passim, ut de recentioribus nullum hîc producam. Et hoc jure faciunt meritoque, nec ἀπροφῆς αἰτίας. Hæc enim, dum Apostolorũ recenset nomina, Petrum in fronte locat & πρῶτον diserte appellat. Necessum igitur est πρωτεῖον aliquod peculiare in ipso dari, nec hoc definire operosum est. Nimirum debetur* Petro Primatus *non ob ætatem modo, sed etiam ob* vocationis *ordinem, quin ob insignem etiam* charitatem *erga Magistrum suum, virtutesque alias, quas in ipso deprehenderunt & deprædicarunt Antiqui Patres præcæteris Apostolis. Ac de ætate quidem non est dubium, quin istâ Petrus & Andreas frater ipsius cæteros omnes præcesserit. Solus* Epiphanius *de hoc videtur dubitare* hær. 15. *dum* Andream Petro *fratre suo natu majorem facit, cum cæteri ad unum omnes reclament. Non obscurè id testatur* Hieronymus lib. 1. adversus Jovinianum. *Luculentius* Chrysostomus *hom. 59. in Matth. Omnium verò evidentissimè* Cassianus *qui de* incarnat. *lib. 3. de* Petro *hæc habet. Primum,* inquit, *decuit respondere Petrum, ut idem esset ordo responsionis, qui honoris, & ipse antecederet confessione, qui antecedebat ætate. Ex ordine porrò vocationis æquè certum est, Petro deberi primas. Omnes enim in hoc consentiunt, ad Apostolatum primum omnium Petrum fuisse à*

Christo

Christo vocatum & admissum. Quamvis enim Andreas primus cæperit Christum libenter audire, Joh. 1. & Petro sequelam Christi persuaserit, nihilo tn. minùs, ubi de perfectâ adhæsione adlato Christi agi cœptum est, Petrus Christo adhæsit, imò omniũ primus. Hinc Cyprianus ad Quinctinum *seu Quintum, Petrum dicit esse primum, quem Dominus elegit. Et* Gregorius *de Petro loquens, ait* lib. 2. sup. Ezech. hom. 18. *Non ad memoriam revocat, quod primus in Apostolatum vocatus sit. Quo etiam dubio procul* Augustinus *respexit* serm. 47. de SS. *Petro & Paulo, quando dixit: Petrus primus Apostolorum & Paulus novissimus. Virtutum denique excellentiam & præsertim Charitatis primatum aliquem Petro assignari debere, est opinor in confesso apud omnes. Tanta profectò charitatis suæ dedit ille specimina, tamque illustria documenta passim, ut nemo hac in parte Apostolorum cum ipso conferri possit. Solus ille Magistrum suum exerto gladio liberare nitebatur. Matth. 26. Solus ad mortem cum ipso subeundam paratum se iteratò profitebatur: solus renuebat lotionem, quam ipsi adornârat Salvator, ex reverentiâ singulari erga Doctorem suum. Et istiusmodi plura maximi fervoris sui documẽta dedit, quæ rectius* Hieronymi *quam meis verbis declarari possunt. Ille* lib. 2. in Matth c. 14. *ita hac de re loquitur: In omnibus locis,* inquit, *ardentissimæ fidei invenitur Petrus: interrogatis discipulis, quem homines dicerent Jesum, Dei filium confitetur: Volentem ad passionem pergere prohibet, & licet erret in sensu, non tamen errat in affectu, nolens eum mori, quem filium Dei fuerat paulo ante confessus: in montem cum Salvatore inter primos primus ascendit, & in passione solus sequitur: peccatum abnegationis, in quod ex repentino timore descenderat, amaris statim abluit lacrymis &c.* Chrysostomus *etiam hom. 47. in Matth. idem de Petro prædicat, dum ait:* Primos Apostolorum seorsim Christus assumpsit & adduxit in montem. Quamobrem hos accipit? Quia excellentiores erant aliis: Et Petrus quidem, quia valdè Christum diligeret, idei cò præstabat. *Huspertinet, quod* Barlaam *in lib. de* Principatu *ait: quod ad Ecclesiã artinet,* ἰσὸ πιμοι πάντες ἐτύγχανον, *sed in sacro illo* 12.

virorum choro Petrus ἐξήρχετο, coryphæus erat, habens hanc prærogativam, quod præsentibus cæteris ipse docendi initium faciebat, ac fortasse etiam πρωτοκαθεδρία ipsi tribuebatur. Ex his & aliis Petri prærogativis Primatum aliquem ad Petrum derivari haud gravatè largimur. Erit igitur inter Apostolos inæqualitas aliqua, sed ordinis, sed ætatis, sed charitatis, non verò potestatis, nec muneris, nec jurisdictionis. Hæc enim æquè communis erat omnibus. Hanc ex æquo singulis cum Apostolatu obtulit Dominus. Et hac tamen nihil obstante Primatus iste, quem dixi, est penes Petrum: Primatus dico non suprematus: πρωτοκαθεδρία, non πρωτοκαθεδρία: πρωτεῖον γενεσίας καὶ πρωτοκλισίας, non verò τῆς Ἀρχοντείας; verbo: πρῶτος Ἀποστόλων est, eritque nobis Apostolus Petrus, non verò Ἀρχι Ἀποστόλων. Primus Inter Apostolos non in Apostolos. Et tantum de primo ordine Ministrorum, cui Rex caputq; Ecclesiæ curam & regimen demandavit: Apostolis videlicet, eorundemque ἰσοβαθμίᾳ & omnimodâ potestatis & auctoritatis æqualitate.

2. LXX. Discipuli.

§. 9. Pergimus ad alterum, quem idem Salvator ἀμέσως instituit ordinem. Est ille LXX discipulorum, quos ad Ecclesiæ suæ ædificationem haud multò post Apostolos τοὺς δώδεκα adscivit sibi, & ablegavit in varias Judææ partes idem, qui Apostolos. De numero horum non satis convenit inter authores, multò verò minus de nominibus. Vulgata super addit numero quem nos definivimus, binarium, suosq; habet satis multos ὁμοψήφους: sunt inter eos, ut de spuriis ac incertis nullum adducam, Origines in Rom. 16. Epiphanius hæresi 20. & 21. Chrysost. in Joh hom. 18. Augustinus quæstion Evang. lib. 2. c. 14. Sedulius operis Pasch lib. 4. c. 12. Gregorius Moral. in Job. lib. 35. c. 11. Beda in Luc. 10. Auctor mirabilium scripturæ apud Augustin. l. 1. c. 9. & alii. Horum tamen auctoritas tanti nobis non est, ut binarium istum Vulgatæ admittamus: Hunc enim excludunt Codices Græci ad unum omnes: Syriaca versio: Irenæus lib. 2. c. 17. & lib 3. c. 13. Tertullianus adversus Marcionem lib. 4. c. 24. Athanasius Synopsi. Basilius Moral. reg. 70 c. 1. Gregorius Nyssenus de vita Mosis; Ambrosius

an-

in Lucam lib 7. c.10. Hieronymus *epist. 127. Ruffinus Hist. lib. 1.c 14.15.* Theodoretus *in 1. Cor. 12.* Isidorus *Hispal. in Exod. c.22. &c.* Nomina *etiam eorum non recensuit* Lucas, *qui numerum tn. LXX. exposuit* c.10. Hist. Evang. *nec integrum quisquã catalogũ ex antiquitate:* τῶν ἑβδομήκοντα μαθητῶν κατάλογον ἑδεὶς ἑδαμῆ φέρεται *inquiebat olim* Eusebius *lib. 1. c.11. Nec aliter* Chrysostomus *in* Joh. hom. 18. *Nolumus igitur in illis operosè colligendis occupari. Si quis tamen veterum in anxia corradendorum undiquaque nominum cura, diligentiam, aut rectius* περιεργίαν *cognoscere satagit, is evolvat* Blondelli *Apol. pro sententia* Hieron. pag.101. *Hos igitur LXX. discipulos elegit & adscivit sibi Salvator & supremus noster* ἔξαρχος, *ut sic N. T. veritas (verba sunt* Harmoniæ Chemnitio Lyserianæ c. XCVII.) *umbræ Veteris responderet. Quemadmodum ergò in Veteri populo fuerunt 12.* Patriarchæ, *ex quibus 12. tribus sunt progagatæ, & quos tota judæorum gens pro suis progenitoribus agnovit; sic etiam Christus XII. Apostolos esse voluit, qui Judæos simul & gentes ex immortalis divinique verbi semine in filios DEI regenerarent, quosq; tota Christiana gens pro suis* Patriarchis *agnosceret. Deinde quemadmodum Jacobus cum LXX. animabus in Ægyptum descendit, Gen 46,27. quibus DEUS ita benedixit, ut toti Ægypto formidabiles sint facti, & quemadmodum Num 11,16. cum Moses de onere regendi populi conqueritur, DEUS 70. viros de senibus Israel segregari jussit quibus de spiritu Mosis communicavit, eisq; ipsos adjunxit, ut in ferendo onere ipsum adjuvarent; unde & postea mansit illa consvetudo inter Judæos, ut in Jerusalem semper essent LXX. veluti senatores, qui cum Principe sacerdotum populum judicarent & gubernarent, & ipsorum senatus Sanhedrin* συνέδριον *dicebatur:* ita Christus, *ut ostenderet, præforibus esse lætam novi populi s. Ecclesiæ instaurationem, quæ initio in Judæa eligi cœpta, mox per universum terrarum orbem maximis incrementis propagaretur, ubi animæ piorum doctrinâ tam Apostolorum quam LXX discipulorum refocillandæ essent, qui denique magnum illum Prophetam Mosis*

loco nobis datum in labore colligendi Ecclesiam tanquam fideles ministri adjuturi erant; per opportunè Christus hunc numerum LXX. præ aliis usurpavit. Hactenus *verba nunquam satis laudatæ* Harmoniæ. *Et hos LXX. tanquam apparitores suos, in omnem locum, quo ipse mox venturus erat, jussit præcedere Salvator, ut animos populi pararent ad sanctissimæ saluberrimæq; doctrinæ suæ promptam acceptationem Luc. X, 1. Insigni etiam illos potestate & auctoritate instruxit; quin idem illis prorsus injunxit, quod antè τοῖς δώδεκα. Jussit enim hosce LXX. non minus proclamare:* Ἤγγικεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. Luc. 10, 9. *quam illos* Matth. 10, 7. *Non comparare aurum & argentum,* Luc. 10, 5. *quam illos, Matth 10, 12. Introeuntes in domum,* εἰρήνην λέγειν, *& in ingratos* τὸν κονιορτὸν ἀπομάσσεσθαι Luc. 10, 11. *quam illos* Matth. 10, 14. *Quin his non minus pleniſſimè largitus est* ἐξουσίαν *curandi infirmos, mũdandi leprosos, excitandi mortuos, expellendi dæmones &c. Luc. 10, 9. 17. quam illis Matth. 10, 14. Quod ipsum quò liquet evidentius, eò* Bellarminus *asseverat impudentius, hosce LXX. nullum ordinem aut Jurisdictionem à Christo accepisse* lib. 4. de Rom. Pontif. c. 25. *Paria certè jura, paria mandata LXX. cum Apostolis δώδεκα nactos esse, satis constat ex collatione utriusq; legationis Luc. 10. & Matth 10. Omnem igitur ordinem iis denegare, frivolum est & à Sacrâ scriptura alienum. Equidem hoc* Bellarmino *& cuivis alio libenter largimur, fuisse ordinem LXX. discipulorum Apostolico inferiorem scilicet. Hoc enim discrimen nec scriptura confutat, & inter Patres assertum est passim ac propugnatum. Nunquam certè LXX. ad omnes omninò gentes immediatè ablegatos legimus; doctrina etiam eorum non est ordinata Regula atq; Canon, ad quem omnis aliorum sit exigenda. Tam familiariter porrò cum Christo non vixere, nec ad participationem sanctissimorum consiliorum æquè sunt admissi LXX. quam Apostoli οἱ δώδεκα. Imò LXX. hosce discipulos ad certum & stabile aliquod corpus non redegit, sed suos saltem præcursores esse aliquamdiu voluit: Per acto verò hoc muvere postquam reversi sunt gaudentes & laudantes in signis*

signis quæ fecerant, non legimus eos amplius à Christo missos in ministerium verbi : imò ne mentionem quidem horum LXX. post hæc habemus in sacris literis sub hoc præfixo scilicet numero, nisi sub communissimo discipulorum nomine, quorum erant plurimi. Contra verò οἱ ὑπὲρ λίαν Ἀπόστολοι firma & constanti, eademq; iterata electione, ordinati sunt ad verbi divini ministerium. Non πρόσκαιρος illos saltem voluit esse in administratione & gubernatione Ecclesiæ, sed perpetuos & ordinarios, dum viverent, suos ministros. Ablegavit eos porrò in alterâ missione ad omnes gentes εἰς πᾶσαν οἰκουμένην & claves regni cœlorum solemniter ipsis commisit. Non igitur video, qui τοῖς LXX. multimodis non sint præferendi οἱ δώδεκα. Missi quidem à Christo haud secus quàm Apostoli sunt hi LXX. (verba sunt rursus Harm. Chemnit. Lyserianæ c. XCVII. p. 1035.) nusquam tamen Apostoli vocantur : Apostolorum igitur dignitas major fuit & sublimior, qui nobis repræsentant Episcopos i. e. quod idē Latinè sonat & est, Superintendentes. Discipuli autem LXX. reliquos verbi ministros, qui ex antiquo vocabulo Presbyteri nominantur. Non igitur illud mihi displicet, quod aliqui ex hac duplici 12. Apostolorum & LXX discipulorum ablegatione etiam duplicem ordinem Ministrorum Christi colligunt. Non quod unius officium alterius sit magis efficax, sed quod ratione ordinis alter alterius quasi ἐπισκοπῶντος Inspector & Gubernator constituatur &c. Eundem discriminis LXX. ab Apostolis XII. modum ex veneranda antiquitate admiserunt quam plurimi. Septuaginta (ait Chrysostomus hom. de Prodit. Judæ) τὸ δευτερεῖα ἔχον ἀπὸ τοσαύτης ἀπέλαυσε τιμῆς, Ambrosius serm. 38. Septuaginta, inquit, palmas juxta fontes Apostolicos generatas LXX. illos discipulos dixerim, qui secundo ab Apostolis gradu, propter salutem hominum à Domino diriguntur. Eadem similitudo Tertulliano adversus Marcion. lib. 4 c. 24. Nysseno de vita Mosis p. 213. Isidoro Hispalensi in Exod. c. 22. Bedæ in Exod. 1, 15. & Theophilacto in Luc. 10. arrisit. Quæ & alia ejus generis testimonia cum non sint nullius ponderis, palam est, hosce LXX. Μαθητὰς τῶν δώδεκα

δώδεκα Ἀποστόλοις exæquandos planè non esse; qua de re pluribus agunt Hammondus differt 3. de jur. Episc. p. 152. Hadr. Saravia de Div Min. grad lib 1. c. 4 p 37. David Blondellus Apol. prosentent. Hieron. p. 109. seqq. quamvis hic ab istis quadantenus dissentiat. Et tantum de altero Ministrorum ordine, totâq; adeo Regiminis forma quam ipse Ἀρχερεὺς etiamnum Ecclesiæ suæ visibiliter præsens instituit, ac adornavit initio.

2 Ab Apostolis & inter Apostolos post Christi adscensionem.

§. 10. Cœpit autem hæc mutari haud ita multò post, quam ipse mutasset suam per adscensionem visibilem in terris præsentiam. Nimirum animadverterunt prudentissimi Ecclesiæ Rectores & Præfecti Apostoli non sufficere tot populis ac nationibus dextrè erudiendis ac gubernandis arctum illum Doctorum Ecclesiæ numerum: Quapropter ne cum ἀθεσμὸς πλὺς, ὀλίγοι essent ἐργάται, elegerunt prorenata undecunque Viros honestos ac industrios, partim ex ipso doctorum Ecclesiæ seminario, Collegio sc. LXX. discipulorũ, partim ex occasione peregrinationum quosdam sibi cooptarunt, inq; consortium laborum advocarunt. Et ex horum numero quosdam ad comitatum, alios vero ad Legationes destinarunt οἱ δοκῦντες. Inter Comites Apostolicos præcipui erant Joseph cognomento Barnabas vel Barsabas, de quo Actorum cap. 1, 13. c. 4, 36. Silas seu Silvanus (Non enim diversos sed τὸν αὐτὸν εἶναι probant Centuriat. Magdeburg. cent. 1. lib. 2. p. 483. & Lorinus ad Act. 15. p. 650.) Timotheus ille Pauli fidus Achates & ὁμόψυχος Act. 16, 1. Phil 2, 20. Titus, de quo Paulus Gal. 1, & 2. Marcus ille Petri comes. 1. Petr. 5, 13. & σύνεργος Pauli Epistolà ad Philem. v. 24. & Lucas, sancti isti Polyhistores. Quibus etiam accensendi veniunt Judas Barsabas Act. 15, 22. Aristarchus. 19, 29. Cajus, Secundus, Tychicus, Trophimus Act. 20, 4. Artemas Tit. 3, 12. Inter Legatos Apostolicos eminent Philippus Samariæ Act. 8, 3. Epaphroditus Philippensium; Phil. 2, 25. Marcus Ægypti, Eusebius lib. 2, 16 Apollo & Xenas Cretensium. Hieron. cap. 3. Tit. Pantænus Indiæ; idem in catal pag. 280. Titus Dalmatiæ, Crescens Galatiæ 2. Tim. 4, 10. & alii aliarum Provinciarum Apostoli

Apostoli & præcones, de quibus prolixè B. Gerhardus *tom. 6. Loc. §. 227. &* D. Danhawerus *in Christeid. seu Dram. S. p. 121. Hos omnes adsciverunt sibi S. Apostoli & ad varias orbis partes partim secum circumduxerunt, partim seorsim amandarunt ad Ecclesias tum novas passim formandas, tum deformatas quandoq; reformandas, omnes ad doctrinam Christianam longè lateque disseminandam. Inter hosce verò* Apostolicos (*ut vocari solent ut plurimum*) Viros, *non unus iterum fuit ordò, sed varius ac multiplex. Non obscurè id ipsum innuit S. Paulus Epistola ad Ephes. c. 5, 11. ubi* καὶ αὐτὸς, *inquit,* ἔδωκε, τὲς μὲν Ἀποστόλες, τὲς δὲ προφήτας, τὲς δὲ Εὐαγγελιςὰς, τὲς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλες, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριςοῦ *&c. Ac de Apostolis Apostolicisque nuntiis suprà, quantùm satis. Proximi ab his juxta Apostolicum, quem isthìc constituit, ordinem sunt* Prophetæ, *de quibus seorsim etiam atq; obiter saltem &* ὡς ἐν παρόδῳ *erit dispiciendum.*

§. 11. *Ac initiò quidem* Prophetas *hosce non reliquis promiscuè Eccl. Doctoribus accensendos esse, vel ex eo satis, opinor, liquet, quod Apostolus eos à Doctoribus, Evangelistis & Pastoribus reliquis* aperte *distinguit. Quod sanè neutiquam fecisset nisi certum illis ac peculiarem Ministerii gradum & ordinem deberi subindicare voluisset. Ut igitur Propheticum hunc ordinem eò rectiùs assequamur, notandum cum primis, in duas hosce Prophetas haud ineptè classes dispesci posse.* 1. Quidam eorum *admirando hocce Prophetiæ dono instructi, futuros Ecclesiæ vel quorundam fidelium in specie casus & eventus prædicere poterant: quo Prophetiæ dono, quamvis ipsi quoq; instructi essent Apostoli, placuit tamen sanctissimo Numini sub initium statim Prædicationis Evangelii alios etiam præter istos hoc divino charismate exornare, verbique præconium hoc pacto confirmare. Instar horum Prophetarum esse potest* Agabus *ille Act. 11, 27. qui inter alios surgens,* λιμὸν μέγαν μέλλειν ἔσεσθαι ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην *vaticinabatur, & ipsi postea Paulo captivitatem & vincula cap. 21, 11. Et hoc insigni dono non Viros mo-* 1. Prophetæ

)(:)(:)(

dò sed

do, sed & fœminas instruebat Dominus vi promissionis suæ Joel. 2. Nam & de Hannâ *memorat* Lucas *cap. 2. Evang. Hist v. 36 quod fuerit Prophetissa, & de quatuor* filiabus Philippi, *quod fuerint* προφητεύουσαι *Act. 21, 9. Et hæc prima Prophetici ordinis classis esse potest.* Altera *erat eorum, qui licet futura præsagire ac vaticinari non poterant, singulari tamen Spir. S. dono & illuminatione* τῆς ἑρμηνείας *erant instructi, ita ut insigni dexteritate reconditos scripturæ sensus eruere & populariter interpretari callerent: Exemplo potest esse illud 1. Cor. 14, 24. Ubi Prophetare illud nihil potest aliud denotare, quam speciali quadam Spiritus S. revelatione scripturas interpretari, idem sibi vult Apostolus v. 32. ubi Prophetarum Spiritus Prophetis vult esse* ὑποτασσόμενα: *ita scilicet doctrinam, quam adferunt Prophetæ* οἱ καὶ ἑρμηνεύοντες, *vult esse comparatam, ut serviat ædificationi ac informationi fidelium. Et hic Propheticus ille, cujus Apostolus loc. cit. meminit, ordo & gradus peculiaris primitivæ Ministrorum Ecclesiæ.*

2. Evangelistæ.

§. 12. *Subjungit hisce porrò* Evangelistas *Apostolus; quos inter eminuerunt (erant enim cæteri* σύνεργοι καὶ συναιχμάλωτοι *Apostolorum, de quibus supra § 10.) sancti isti Spiritus S. amanuenses quatuor* Matthæus & Johannes ἐκ τῶν δώδεκα & Lucas *Pauli,* Marcus *Petri individui comites,* οἱ καθ' ἑξοχὴν *ita dicti* Εὐαγγελισταὶ, *cum Evangelicam de Christo historiam concinnaverint, & hâc ipsâ Ecclesiæ, non illius modò aut post sequentis temporis, sed ad finem usque mundi colligendæ operam navarint maximè salutarem. Vitam & acta istorum recensere nostri non est instituti, & præstiterunt id satis accuratè* Irenæus *lib. 3. c. 11 p. 185.* Eusebius *lib. 6. Hist. Eccles. c. 13.* Hieronymus *in Catal. script Illust.* Niceph. *lib. 2 Hist Eccl. c. 15. Et post eos alii quam plurimi Conferri de his possunt* Gerhardus *tom VI. p. 225. Dan.* Chamier. *tom V. Panstrat. c. 1. Post hos demum recenset Apostolus loco cit.* Pastores & Doctores, *de quibus non est necessum ut hic seorsim agamus, cũ eos dem illos censeamus esse cum Presbyteris & Episcopis, quos inferius excutiemus.*

§. 13. *Restat*

§. 13. *Restat igitur, ut de* Presbyteris *etiam &* Diaconis *(nam & isti peculiares Ecclesiæ primitivæ Apostolicæ erant ordines) pauca subjungamus. Ac de* Diaconis *quidem (ut ὕστερον faciam πρότερον) tantum nobis constat, fuisse illos κελωλόγους ac χωρηγὸς δαπάνης, annonæ ac ærarii præfectos, & circa eam Ministerii partem occupatos potissimum quæ τὰ βιωτικὰ, distributionem scil. necessariorum potissimum complectebatur. Et hic ordo, si quis quæ alius, ex usu quam maximè fuit Ecclesiæ primitivæ præsertim Hierosolymitanæ. Erat enim isthîc τὸ πλῆθος τῶν πιστευσάντων ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία: ita profectò, ut οὐδὲ εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον, ἀλλ' ἦν αὐτοῖς ἅπαντα κοινὰ, juxta* Lucæ *testimonium* Act. 4, 32. *Nolebant enim,* ita pergit, *οἱ ἐξ ἀναστροφῆς εὐσεβεῖς esse ex fratribus quenquam indigentẽ: Quapropter ὅσοι κτήτορες χωρίων ἢ οἰκιῶν ὑπῆρχεν ἐν αὐτοῖς, πωλοῦντες ἔφερον τὰς τιμὰς τῶν πιπρασκομένων, καὶ ἐτίθουν παρὰ τοὺς πόδας τῶν Ἀποστόλων. Unde factum, ut ingens thesaurus brevi fuerit collectus, ex quo postmodum distribuebatur egenis ἑκάστῳ καθότι ἄν τις χρείαν εἶχεν. Hæc igitur cura certis personis demandabatur, præsertim cum murmur illud Græcorum adversus Hebræos percrebesceret. Isti enim ægrè ferebant negligi, quod suspicabantur, suas viduas ἐν τῇ διακονίᾳ, ac posthaberi Hebræis. Quod dissidium maturè animadvertentes prudentissimi Ecclesiæ Gubernatores Apostoli, nec abs se tamen hanc διακονίαν citra neglectum vocationis suæ administrari posse videntes, jusserunt eligi ex discipulorum numero ἑπτὰ ἄνδρας μαρτυρουμένους, πλήρεις πνεύματος καὶ σοφίας, quibus hæc διακονία τραπεζῶν commendaretur, ceu patet ex Act. 6, 1 seq. Unde liquet, non temerè hunc ordinem διακόνων ab Apostolis introductum fuisse, sed extremâ id necessitate ita urgente, ings remedium schismatum ac dissensionum. Ex Hierosolymitanâ porro Ecclesiâ in alias quascunq; hic ordo fuit derivatus. Quamvis enim in Hierosolymitanâ duntaxat Ecclesiâ ista bonorum communio obtinuerit, nec ad gentilium Ecclesias fuerit traducta,* Diaconi *tamen ab his etiam adlecti fuerunt, dictiq; sunt isti, qui pauperum peregrinorum ac ægrotorum*

3. Diaconi.

curam gerebant, iisdemq; ex Ecclesiasticis collectis necessaria suppeditabant adminicula. De Romanâ certè Ecclesiâ testatur S. Gregorius passim in Epistolis, esse scilicet isthic, inq; locis aliis, ubi Romana Ecclesia latifundia possidebat, διακονίας erectas, in quibus Eleemosynæ à Diacono Rectore Diaconiæ & fructuum ex latifundiis collectorum dispensatore distribui solebant, quas Diacorias etiamnum Romæ extare priscumq; nomen retinere, testatur Corn. à Lapide in Act. c. 6. Conferri hic omninò merentur quæ de Diaconis accuratè concinnavit noster ὁ πάνυ D. Dorscheus in synodolog. suâ S. ad synodum Hierosolymit. II. Act. 6. Fuerunt igitur, uti ex hactenus allatis apparet, Diaconi istipotissimum τῶν βιωτικῶν curam & τραπεζῶν διακονίαν destinati. Cui tamen non tam arctè alligatos fuisse censendum est, ut ab omni prorsus Verbi & Sacramentorum cura simpliciter fuerint excluſi, quod quidem existimat Waleus tom. 1. op. p. 466. Minimè verò omnium: Ex Actis enim liquidò constat, non Stephanum modò ad λιθοβολίαν usq; id præstitisse, sed Philippum etiam docendi partes identidem obivisse. Et horum acta, quid alii fecerint, non obscurè nobis indicant. Quamvis enim de reliquis nihil consignatum sit, non tamen propterea existimandum est, otiosos istos fuisse. Nam de Apostolorum maximâ parte altum in scripturâ silentium est, quos tamen certum munere sibi divinitus impositognaviter fuisse defunctos: Interim, quod Diaconorum nostrorum doctrinam attinet, facilè largimur eam ex occasione magis quam ex instituto, seu, quod simul essent ex eis quidam Presbyteri, & Evangelistæ qualis Philippus, (ut colligere est ex Phil. 1. 1. Tim 3, 7. 8. 9. 13.) contigisse.

§. 14. A Diaconis progredimur ulterius ad Presbyteros & Episcopos primitivæ Ecclesiæ: His enim cum potissimum stabilitum ac firmatum fuerit ordinarium verbi Ministerium, non præter rem facturi, credo, sumus, si aliquantò accuratius excutiendis immoratifuerimus. Et de Presbyteris quidem initiò notari meretur, quid Græcis, quidve Hebræis voce illâ potissimum denotetur.

4. Presbyteri.

tetur. Apud Græcos notissimum est illud Dionysii Halicarnassensis l. 2. πρεσβυτέρους, καὶ τοὺς ἀρίστους, καὶ τοὺς γέροντας ἐώθασιν παλαιοὶ λέγειν: i. e. Seniores & pro Optimatibus & pro Grandævis dicere solebant antiqui. Quod & hodiè apud Italos, Gallos, Hispanos, aliasque gentes quam plurimas solemniter invaluit, ut non ἡλικία tantùm, sed præcipuè ἀξίωμα dignitas & auctoritas istâ voce significetur. Apud Hebræos idem constat planè: illorum enim זקנים senes aut, quod idem est, seniores, (Hebræis enim comparativum gradum deesse notum) τοῖς πρεσβυτέροις disertè respondere, quibus dignitates & præfecturæ ubique in V. T. notantur, omnes agnoscunt. Illud utique negari non potest, quin πρεσβυτέρων appellatio apud Hebræos ad ἡγεμένους & ἄρχοντας & ἡγεμόνας, qui aliquibus quovis modo præficiebantur, κυρίως & ἰδίως pertineat. Equidem Oeconomus ille Abrahami Eleasar, qui præerat omnibus & servis & facultatibus ejus Gen. 24, 2. זקן ביתו senior domus ejus, & simpliciter πρεσβύτερος τῆς οἰκίας αὐτοῦ, ἄρχων παντὸς τοῦ ὄντος αὐτῷ nuncupatur. שליטא inquit Targum Hierosolymit: Præpositus, rector, administrator vel Oeconomus fuit: & sic sine dubio domus Pharaonis totiusque Ægypti זקני aut seniores Gen. 50. sunt Regiæ domus, totiusque Ægypti præfecti & administratores: sic πρεσβύτεροι Moabitarum Num. 27, 7. sunt שרי Principes Moab. v. 8. Haud secus cum in filiorum primogenitorum privilegiis dominium omne fundaretur, familiarum aut πατριῶν Principes Patriarchæ pariter & πρεσβύτεροι dicebantur. ὁ γὰρ τῶν συγγενέων κύριος ὁ πρεσβύτατος ait de Arabibus Strabo Geogr. l. 16. Tales sine dubio seniores Israelis. Exod. 3, 16. 18. & 4, 29. primariarum familiarum, aut gentium præfecti ac capita. cap 6, 14. Congregationis præpositi aut Rectores c. 16, 22. qui denuò seniores Israelis vocantur cap. 17, 5. 6. & 10, 12. Tandemque cum à socero admonitus Moses judices ubique constitueret, Exod. 18, 22. hos itidem πρεσβυτέρους & ἀρχοντας, & judices, & Ἄρχοντας συναγωγῶν, & Ἀρχισυναγωγούς vocabant. Denique cum LXX. Seniores Mosi sufficerentur Num. 11, 16. (quibus itidem Magnum Hierosolymitanum synedrium successisse

 constat)

constat) palam est, hos ideò seniores dictos esse, quod populi aut Israelis præfecti aut ἄρχοντες fuerint, priusquam à Mose in Synedrium admitterentur. Hoc igitur πρεσβυτέρων nomen non ætatis modo, sed & honoris, & potestatis ab ætate etiam conciliatæ nomen, & hinc apud Judæos honoratissimum, traductum ad eos fuit ab Apostolis, quos illi Ecclesiis gubernandis destinabant.

Iiq; vel Clerici, vel Laici.

§. 15. Horum verò Presbyterorum duos distinctos iterum ordines in Ecclesiâ primitivâ fuisse, ex indicio scripturæ non uno, nec obscuro constat. Quidam eorum docendi munere ordinario fungebantur, aut, ut Apostoli verbis utar, erant κοπιῶντες, ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, dicebanturque vulgò Pastores, Doctores, Episcopi &c. Alii verò nec in prædicatione verbi, nec in administratione Sacramentorum occupabantur, sed moribus saltem Christianorum gubernandis præerant, & ordini præterea in Ecclesiâ, doctrinæque publicæ conservationi intendebant potissimum, unde κυβερνῆται & προϊστάμενοι conjunctim scilicet cum cæteris dicebantur, ut patet ex 1. Cor. 12, 28. &c. & sequioribus seculis Presbyteri Laici, tum quod è senioribus λαὸς allegerentur, tum, quod ad interiorem sacrorum curã non admitterentur. Quod discrimen quamvis declinare nitantur Papistæ plerique & cum eis ex Reformatis Batavis Revius *Exam. quæst. 7. & 8.* Voetius *disp. 3. de potest. Eccl.* & Anglicanis, Bilsonius *c. 10. & 11 de Gubernat.* Wilhelmus Cantuar. *Archiepiscopus Orat. ad Regem & Proceres habitâ Anno 1638.* Hadrianus Saravia *de div. grad. Min. Evang. lib. 1. c. 11. p. 83* & Henricus Hammondus *presbyter Anglicanus, qui id futilius esse traducit, quam ut quovis responso dignum videatur; nobis tamen egregiè se commendat & πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον videtur. Unde magni meritò facimus ejus Hyperaspistas CL.* Salmasium, Anton. Walæum &, *quem primò debebam nominasse*, D. Joh. Hülsemannum, *qui id præclarè tuentur* hic in *Breviar. p. m. 358.* Ille *tom. 1. Op. pag 467.* Iste *in* Wall. Missal. *p 397. c. 7. quibus cum conferri meretur* Chamier *Panstrat. Catholicæ tom. 5. c. 1. p. 13. Sanè Paulus id tam evidenter proponit 1. Tim. 5, 17. ut mirer esse, qui*

qui contradicant. Οἱ καλῶς πρεσβῦται, inquit, πρεσβύτεροι διπλῆς τιμῆς ἀξιώθησαν, μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. Quod si cui futile videtur hoc discrimen, is vires suas experiatur & huic nodo quærat aliquem cuneum. Aut enim valdè fallor, aut illud μάλιστα est intensivum subjecti & disjunctivum aliorum, ab aliis ejusdem nominis, non laborantibus verbo aut doctrinâ. Nec desunt παραλληλίαι satis manifestæ. E.G. Phil. 4, 22. Salutant vos omnes sancti, inquit Paulus, μάλιστα, qui sunt de Cæsaris domo. Unde non potest non optimè colligi: Etiam quidam sancti non sunt de Cæsaris domo. Idem Gal. 6, 10 Benefaciendum ait, est omnibus, μάλιστα πρὸς τοὺς οἰκείους. Ergone solis οἰκείοις esse benefaciendum vult Apostolus? Non certè; sed quibusdam quoque ἐκ οἰκείοις. Idem porrò 1. Tim. 5, 8. cum dicit, eum, qui suorum ἰδίων, μάλιστα δὲ τῶν οἰκείων non curat, fidem abnegasse, quosdam ἰδίους, οἰκείους non esse, non obscurè innuit. Quis igitur in Ecclesiâ primitivâ fuisse presbyteros etiam quosdam non κοπιῶντας ex illo μάλιστα dubitare possit amplius? si Solis hæc radio essent scripta, non poterant esse, quam sunt, clariora. Nebulæ etiam quas luci huic clarissimæ offundunt οἱ ἐκ σκότους, parùm isti officiunt & dispelluntur sine negotio. Quod enim per hosce πρεσβυτέρους quidam Diaconos denotari obvertunt, id non dubito, quin cuivis cordato nimis futile, dicam, an ineptum? primo statim obtutu appareat. Quis enim unquam audivit Diaconos ab Apostolo πρεσβῦτας dici? Quis verò putaret simile, ut Diaconorum ordo, qui semper infimus fuit in Ecclesiâ, cum supremo ordine conferatur honoris duplicatione? Quin si id vel maxime admitteretur, negare tamen ne sic quidem possunt οἱ ἀντιλέγοντες, quin aliqui ἐκ κοπιῶντες in verbo, Ecclesiæ fuerint præpositi, etsi aliud simul munus gererent: ac proinde ne sic quidem possunt, quin ad castra nostra vel inviti dilabantur. Rectius videntur obniti qui latebras quærunt in voce κοπιῶντες; ac si illi presbyteri, qui plus cæteris laborarent & fatigarentur in exercitio functionis suæ, opponerentur iis, qui remissius agerent, quorum istos διπλῆς τιμῆς ἀξίους judicaret Apostolus; sed ne sic quidem

satis

satis solidè. Non enim illud κοπᾶν extraordinarium quendam ac intensiorem, quod isti volunt, laborem, sed consuetum & vulgarem quemvis Ministrorum denotat. Sic Paulus Rom. 16, 12. Tryphænam & Tryphosam τὰς κοπώσας ἐν κυρίῳ & alios quosvis ministros ita passim describit, ut patet ex 1. Thess. 5, 12. Act. 20, 35. Si μοχθοῦντες dixisset Apostolus, obtinerent fortassis non nihil dissentientes. Illud enim de extraordinariis & gravioribus curis ac laboribus solet quandoq; usurpari: sed si in hoc vel maximè essemus faciliores, esset tamen ἐκ τοῦ ἀτόπων dicere, Paulum eos inter καλῶς προεστῶτας numerare, qui remissiùs agunt, & malè mandato munere funguntur. Non certè tales καλῶς sed κακῶς προεστῶσι accensendi veniunt, & accensentur passim ἐν ἱεραῖς γράμμασιν. Cætera, quæ adversum nos vibrant, tela infirmiora sunt, quam ut declinari ac retorqueri mereantur. Tuemur interim Laicos istos (ceu vocari solent vulgò) Presbyteros, illosq; cæteris, qui κοπιῶντες erāt ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ adjunctos ab Apostolis contendimo, ad Ecclesiæ salutē procurandum, & ordinem pariter ac εὐχημοσύνην in Ecclesia conservandum.

§. 16. Præter autem hoc πρεσβυτέρων, erat aliud porrò nomen & Episcopi ministris Ecclesiæ primitivæ ordinariis, quos presbyteros antè diximus, proprium ac peculiare. Dicebantur scilicet Ἐπίσκοποι, Episcopi, quæ vox ab Hellenistis in Vet. primum, ab Apostolis dein in N. T. non rarò usurpata legitur. In V. T. tria sunt vocabula Hebraica quæ LXX. Græci interpretes per ἐπίσκοπον reddenda putarunt. 1. אֵל semel, (θεῷ, κυρίῳ, ἀγγέλῳ, καὶ ἐπισκόπῳ commune) quo scilicet κοινῶς aliqua ἐξοχὴ denotatur. 2. נֹגֵשׂ Exactor. Es. 60, 17. 3. מִפְקָד (à rad.) פָּקוֹד יִפְקִיד יִפְקֹד quibus omnibus notatur Præfectus, Præpositus, Visitator, Commissarius, cui aliqua super homines administratio concreditur: communiter per Ἐπίσκοπος reddunturut & per Ἐπιστάτης & προεστάτης, ut & ἄρχων, τοπάρχης, κωμάρχης & semel per θυρωρὸς Janitor, cui claves Domini commissæ sunt Ezech. 44, 11. Cum per Ἐπίσκοπον redditur ad quinque significatio ejus reduci potest: 1. in Exercitu Ducem, Ἐπίσκοπον τῆς δυνάμεως, Chiliarchum aut Centurionem denotat Num. 31, 14. Jud 9.

Jud.9,28.2. Reg.11,15. 2. In *officinâ* artifices *Principales 2.Chron. 34,12,17. eos nempe, qui reſtaurando templo præficiebantur.* 3 In *civitate quemlibet* Rectorem *aut Principem. Nehem.11,9.14* peculiariter verò ſacerdotũ præpoſitum *v.10. qualis erat Jedaiah, dein Levitarum v.15. qualis Semaiah; Priorem* ἱερέων, *Poſteriorem* λευιτῶν ἐπίσκοπον? 4. *In templi miniſterio Eleazarum filium Aaronis* (τῶν ἀρχόντων τῶν λευιτῶν Ἄρχοντα *dictum Num. 3,32.*) *qui Num. 4,16.* Ἐπίσκοπος Ἐλεάζαρ *vocatur.* 5. Præpoſitos *domus Domini,* ἐπίσκοπον ἐπὶ τὸν οἶκον κυρίου *ſignificat. 2.Reg.11,18.* In N. Teſtamento *ſæpius occurrit vox* ἐπισκόπη, *& eos potiſſimum denotat, quos ante Presbyteros diximus, Eccleſiarum videlicet Gubernatores, Inſpectores, Curatores, Doctores, Paſtores* οἰκονόμους μυστηρίων, λειτουργούς, ὑπηρέτας θεοῦ, κυβερνήσεις & ἡγεμόνας: *quod poſterius Epiſcoporum epitheton Judæi ſequioris ævi* (*ut obiter illud inſeram*) *civitate ſancta donarunt, dum Epiſcopos Chriſtianorum* חגמונים *aut* אגמונים, *voce iſti affini, appellarunt. Liquet hoc ex* Abrabaneelis *in Iſ.34.t.54. c.4. qui de iſto magni nominis* Burgenſi *verba faciens ex Judaiſmo ad fidem Chriſtianam converſo, tandemq; ad Epiſcopalem ſedem evecto,* prius, *inquit,* Salomon Levita dicebatur: poſtquam autem factus eſſet שר הגדול בון הנוצרים appellatus *eſt* אגמון, *Egemon i.e. Epiſcopus Burgenſis. Videatur* Elias Levita *in* Thisbi *&* Buxdorfii, *ſi placet, Lexicon in verbo* האגמו. *Omnibus igitur promiſcuè Eccleſiæ Doctoribus nomen Epiſcopi tribuebatur; omnibus inquam, quotquot docendi munere in Eccleſiâ fungebantur, ne minimo quidem Presbyterorum excepto. Nimirum nulla inter Epiſcopos & Presbyteros primitivæ Eccleſiæ erat differentia, nulla inæqualitas. Eadem hi cum illis pollebant poteſtate ac autoritate, tempore & inſtituto Apoſtolico. Nec* officii *ſaltem & regiminis inter eos erat identitas, ac communio, ſed* nominum *etiam ac* titulorum. *Et ut verbo quod res eſt dicam, RE, NOMINE, ORDINE, DIGNITATE & OFFICIO erant Epiſcopi cum Presbyteris id temporis pares. Quod dum audacter* (*neque enim poſſumus per ſcripturam aliter*)

):():():():(*aſſeri-*

asserimus, multos nobis accersimus undiquaq; αὐτηλέγους, quos tamẽ ἐλέγχειν ac ἐπισκοπίζειν non est operosum. Ac initiò quidem obvertunt nobis cornua παπυρινῦτοι plerique, quamvis ex illorum censu nonnulli sibimet simul ipsis. Equidem Bellarminus qui l. 1. de clericis c. 14. operosè contendit, Episcopos jure divino majores esse Presbyteris, idem, inquam, ipse lib. eodem c. 15. sponte largitur tempore Apostolorum nomina illa Episcopus & Presbyter cõmunia fuisse omnibus sacerdotibus, (quos vocat) tã majoribus, quã minoribus quorum hos Presbyteros illos verò Episcopos tunc appellarunt. Quo ipso non tam nobis aut veritati, quam sibimet ipsi turpiter & manifestè contradicit; secutus autem est in hoc Bellarminus non tam suam fortasis mentem, quam Concilii Tridentini decretum aut excrementum potius: hoc enim ita pro fastu suo convexo, & prætoriâ, qua pollutum est, autoritate decernit Sess. 13. can. 4. Sacrosancta synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem pertinere, & positos, sicut Apostolus ait, â Spiritu S. regere Ecclesiam DEI eosq; Presbyteris superiores esse. Et Can. 7. Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, Anathema sit. Huic tremendo Paterculorum Tridentinorum fulmini ne se Bellarminus objiciat, mavult esse Paraphrastes quam Antiphrastes. Quapropter etiam lib. 1. de Clericis c. 14. tria juxta ejus normam demonstrare conatur: Primò jure divino majorem esse Episcopum, quod ad ordinis potestatem attinet. 2. Majorem etiam quantum ad jurisdictionem. 3. Episcopos in Vet. Ecclesia non fuisse quasi consules in senatu, sed quasi Reges & Principes. Cum Bellarmino hac in parte consentiunt ad unum omnes Pontificii, ipse etiam, quod mirum, M. Anton. de Dominis lib. 2. Hierarch. Ecclesiasticæ c. 3. quamvis id fecisse non immerito videatur, non tam ut veritati obluctaretur, quam ut Angliæ Episcopis & Proceribus non contradiceret, quorũ favorem ac benevolentiã abundè experiebatur id temporis Vertumnus iste. Pontificiorũ castra

sequun-

sequuntur & mordicus eadem cum ipsis deliria propugnant ex Reformatis Hadrianus *Saravia lib. 1. de Ord. Ecclesiastico c. 11. seqq.* Henricus Hammondus *dissert. 4. de Episcop. juribus contra sententiam* Blondelli & Salmasii, *aliisq; Episcopalis* ἀρχοντείας *in Anglia assertores. Quòd dum faciunt non nobis modò, sed* νηίοις *simul* θεῦ πῆς ἀξιοπίστις *fidem derogant, & superbè insurgunt. Hæc enim de tali Presbyterorum & Episcoporum discrimine ne* χὺ *quidem, sed omnia isti potius apertè contraria passim producit. Certè Paulus Act. 20. eosdem, quos ad se vocaverat, Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros* v. 17. *quos dicit ordinasse i. e. posuisse Spiritum Sanctũ* ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τῦ θεῦ v. 28. ἐπισκόπες, *apertè nominat Idem in* ἐπιγεγραφῆ *Epistolæ ad Philipp. Episcoporum saltem & Diaconorum facit mentionem, nullam Presbyterorum, quod non, credo, fecisset, si distinctos ab Episcopis presbyteros illius temporis Ecclesia agnovisset. Accedit quod c. 4. Epistolæ ad Eph.* v. 11. *& 2. Cor. 12, 28. altum etiam de Episcopis sit silentium, quibus tamen in locis Ecclesiasticos ordines ex professo recenset, nec in omnibus Pauli scriptis in universum ullam hujus differentiæ vestigium aut vola apparet uspiam. Ipse porrò* Petrus, *qui extra omnem controversiam fuit Episcopus, imò summus & Archiepiscopus ex sententia Bellarmini & complicum, idem, inquam Petrus* πρεσβύτερον *se metipsum nominat 1. Ep. 5, 1. & ipsos ibidem Presbyteros vocat* ἐπισκοπῦντας v. 2. *Nec* Johannes *Apostolus, de cujus etiam Episcopali dignitate nullũ apud Pontificios est dubium, Presbyteri titulum declinat, ceu patet ex 2. ejus Epistolæ* v. 1. *& 3. Quamvis igitur libenter admittamus discrimen inter Episcopos aliquod esse, quoad* potestatem ordinis, *ac illius respectu Episcopos Presbyteris esse superiores, quoad* jurisdictionis tamen potestatem *jure divino fundatam nullam inter istos agnoscere possumus, ac ne minimam quidem inæqualitatem: prolixè id diducente B. Gerhard. tom. 6. Loc. de Min. Eccl. p. 235. Frivolum est, quod* Bellarminus *de* Clericis *lib. 1. c. 15. obvertit:* Nomina, *scilicet*, eo tempore fuisse communia (*Presb. sc. & Episcopi*) licet res ipsæ & potestates fuerint distinctæ. *Quid*

enim Bellarmine? Annon τὰ ὀνόματα τῶν πραγμάτων εἰσὶ σύμβολα? Ego certè nullus dubito, quin distincta quoq; fuerint nomina Episcoporum & Presbyterorum, si distinctæ fuissent, & jure quidem divino, potestates. Quod si id ipsum pergis, cedo mihi jus divinum? cedo mihi unicum ex scripturâ apicem, qui distinctas mihi potestates hasce ponat ac stabiliat? Ordinationem istam, quam Episcopis præ Presbyteris competiisse autumas, dum affers, vagaris extra oleas: de divino enim litigamus jure, ac dominicâ, aut Apostolicâ institutione, non Ecclesiasticâ dispositione ac humanâ ordinatione, unde ista fluxit. Jus divinum, quod solis Episcopis ordinationem asserat, Presbyteris verò deroget, si produxeris, eris mihi magnus Apollo. En tibi contarium 1. Tim. 4, 14. ubi si Presbyteros ab ordinatione excluſos prorsus fuisse dices, necessum est, ut per impositionẽ manuum vel quidvis aliud, quam ordinationem intelligi asseras, vel per Presbyterium unum saltem Episcopum, vel solos Episcopos tuos intelligas, vel ex æquo ad Presbyteros pariter ac Episcopos, ordinationem pertinere concedas nobis. Prius non potes per temet ipsum. de Sacr. ord. c. 2. Alterum cum dicas, nec probes tamen, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνεις; aut si admittis, demonstra evidenter. Posterius igitur accipe quæso, & veritati pertinacius obstrepere noli. Sed conaris elabi, ut video, aliâ quadam rimâ: Presbyterii, inquis, nomine intelligitur ipsum officium, ac sensus est: Noli negligere gratiam s. donum, quod in te est, quod datum tibi est per impositionem manuum Presbyterii, id est, quâ Presbyterium accepisti. Σοφὸν scilicet φάρμακον Bellarmine! Miseret profecto me tui, quod turpiter te potius dare, quam veritati velis assurgere. Si quid uspiam durum, elumbe ac coactum esse potest, tuum certè hocce est κρησφύγετον: quod ut ipse agnoscas evidentius, evolve quæso illud 2. Tim. 1, 6. Vides ibi Paulum ex sertè dicere, idẽ illud donum esse per impositionem manuum suarum: docet itaq; suas se manus Timotheo in ordinatione imposuisse: eandem phrasin in ante citato loco 1. Tim. 4, 14. reperiri si negas, solem in meridie lucere eâdem negas operâ. Quin eundem igitur utrobiq;

sensum

sensum obtinere agnoscis, & Presbyteros haud secus quam Paulum in ordinatione Timotheo *manus imposuisse fateris? Non sunt hæc tanti, ut diutius istis immoremur. Potior nobis est Antiquissimorum & ὀρθοδοξότατων Patrum auctoritas & ὁμοψηφία, quam pudenda* Bellarmini *& complicum φλυαρία. En pauca tibi ex infinitis testimonia ex Antiquitate: Theodoreti primum. Is in* 1 Tim 3,1. τὰς αὐτὰς, inquit, ἐκάλεσε ποτε πρεσβυτέρους καὶ ἐπισκόπους *& in Phil.* 1. Ἀμφοτέρους εἶχον καλ' ἑκάτερον τὸν κοινὸν ὀνόματα. *Oecumenius alter esto testis veritatis. Is in Phil.* 1. Ἐπισκόπους τοὺς πρεσβυτέρους, *ait*, καλεῖ· τότε γὰρ ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι: *sic in* 1. Pet. 5, v. 1. πρεσβυτέρους γὰρ τοὺς Ἐπισκόπους καὶ ἡ τῶν πράξεων βίβλος οἶδε λεγομένους; *quod ipsum prolixius exponit in Act. XX. Prodeat porrò Magnus ille* Chrysostomus *proximus ab* Hieronymo. *Is in* 1 Tim. 1 inter Episcopum, *inquit*, & Presbyterum interest fermè *nihil, quippe* & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt: Solam autem ordinationem excipit, non quod jure divino Presbyteris eam præcisam opinetur, sed quod Ecclesiasticæ dispositioni id deberi agnoscat: *quo de clarius* Hieronymus, *qui postquam prolixe id confirmasset, tandem addit:* Olim idem erat Presbyter, qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu, studia vel *schismata* invalescerent, & diceretur *in populis: Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego Cephæ*, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur, postquam autem unusquisq; eos, quos baptizarat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris superponeretur omnibus, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismata tollerentur: in comm. ad Epistolam Tit. *Quod idem* Epistola 83. ad Oceanum Presbyterum, *& Epistola 85. ad* Evagrium *repetit ac confirmat. Cumq; hæc* Patrum *cum primis* Hieronymi, *testimonia sudes sint in oculis adversariorum, misere se torquent ac cruciant, ut alium inde sensum producant; quam verò incassum ac infeliciter,*

ter, liquet ex Davidis Blondelli *Apologia prolixâ & peculiari, pro sententia* Hieronymi. CL. Salmasii *adversus* Petavium Wallone Messallino. & Apparatus *ad tract. de Prim. Papæ, ut & ex incomparabilis nostri* Gerhardi *tom. 6. Loc. §. 234* seqq. *Tantum igitur* de Episcopis *etiam & Presbyteris, & omni simul ordinum ac graduum serie, quam ex ordinatione divina & Apostolica institutione ac dispositione in Ecclesiâ primitivâ Apostolicâ obtinuisse, sacer codex nobis insinuat, ac evidenter demonstrat.*

Ανακεφαλαίωσις ordinũ institutorum divinitus

§. 17. *Primos igitur omnium ad Ecclesiæ regimen ac propagationem hactenus dixi admotos ab ipso ejus capite & ἐξάρχῳ Christo* Apostolos *XII. Post hos* adlectos *LXX. discipulos, dignitate quamvis istis haud pares: Et hos omnes extrà ordinem pro Ecclesiæ illius naturâ ac conditione ante ejus visibilem ad cœlos ἀνάβασιν. Post hanc plures ἐργάτας ad θερισμὸν ablegatos indicavi Auctus nimirum non Apostolorum (ut paucis ista repetam) modò, sed & discipulorum est numerus, ne Ecclesiæ incremento quidquã obstaret. Hinc* Prophetæ, Evangelistæ, Pastores, Doctores. *Hinc* Diaconi *isti τραπεζῶν simul & doctrinæ verbi λειτουργοὶ: hinc* Presbyteri *porrò & Episcopi unius ejusdemq; officii diversa nomina, quibus ordinarium tandem ministerium verbi & Ecclesiæ pariter regimen firmatum est ac stabilitum. Hoc illud, inquam, Ecclesiæ regimen, quod ex ordinatione & instituto divino manavit, & ad supremam usq; Apostolorum ætatem inconcussum perseveravit. Quod ipsum cum multis aliis de causis notasse meretur, tum ob hanc cumprimis, ut scilicet τὸ θρασίαν illam κατακυριεύσαν, aut ut significantius loquar, πρωτεῖον illud Ἀρχοντικὸν, quod sequioribus seculis in Ecclesiam irrepsit, & etiamnum in Papali obtinet, ex sanctione aliquâ divina, aut Apostolico instituto derivatum esse neutiquam adducamur ut credamus. Videmus enim omnes inter se æquales Apostolos. Supremátum ac imperium unius in cæteros nullum deprehendimus; quin damnatum potius, ac profligatum à Domino, quam introductum. In ordinario quoq; Ministerio verbi æqualia omnibus jura divinitus concessa vidimus: Ordine quidem sequestra-*

questratos ab invicem verbi Ministros intelleximus: Ad fastigium verò Monarchicum evectum neminem. Hæc primitivæ Ecclesiæ facies: hæc antiqui regiminis Ecclesiastici forma ac indoles.

§. 18. Sequitur, ut observemus quid sequioribus paulatim seculis circa gubernationis Ecclesiasticæ formam contigerit. Quod ipsum si paulo accuratius persequi voluerimus, DEUS bone! quot vicissitudines, quantos defectus, quantas declinationes deprehendemus, pro variis Ecclesiæ temporibus! Possunt hæc non ineptè ad quatuor potissimum revocari capita. Primò enim Episcopi Presbyteris suis, quos inter nullum sub initium nec officii, nec dignitatis erat discrimen, majores & honoratiores facti, ita tamen, ut pares omnes inter se αὐτοκεφαλίαν obtinuerint, quod ad Nicænum circiter Concilium duravit. Ab eo porrò tempore, quod alterum, Episcopis hisce sunt impositi Archi-Episcopi s. Metropolitani, qui & ordinationes Episcoporum, & communem omnium Provinciarum curam in se derivarunt; sed & isti ejusdem concilii decretis prius constituti sunt, & αὐτοκεφαλίαν aliquamdiu possederunt. Non multò tamen post hi quoque superiores accepere Patriarchas, qui tanquam capita pluriumerant Metropolitanorum. Hi tandem statutis conciliorum, & Ecclesiæ consuetudine muniti αὐτοκεφαλίαν sibi arrogarunt, & feliciter retinuerunt usq; dum mysterium iniquitatis manifestari cœptum in arrogantissimo Romanorum Præsule, qui pro unico & genuino Ecclesiæ totius Capite se venditavit, sibiq; soli αὐτοκεφαλίαν & κεφαλὴν ὑψίστου arrogavit, fastu prorsus abominabili & verè Anti-Christiano. Hi sunt isti gradus, hæ vicissitudines, hæc illa declinationum varietas, quæ in Ecclesiam post Apostolorum ferè tempora, & præter eorundem instituta paulatim irrepserunt. Considerabimus singula seorsim, & ex Antiquitatis ἐρειπίοις s. ruderibus incrementa cujusque ac decremẽta vicissim eruemus. 3. Post Apostolorum tempora.

§. 19. Primam Ecclesiastici regiminis mutationem contigisse dixi, postquam Episcopi supra Presbyteros evecti, & nomine pariter ac officio ab illis distincti sequestratique fuerunt. Ex illis, 1. Episcopi supra Presbyteros

illis, quæ paulò ante produximus, constat, opinor, liquido, ex primâ illa Christi & Apostolorum institutione ita fuisse præpositos Ecclesiis gubernandis Presbyteros & Episcopos, ut unum eundemque gradum & ordinem facerent. Ab hâc autem Apostolicâ institutione deflexit paulatim Ecclesia, & unum eundemque ordinem in duos, re ac nomine distinctos, divisit. Factum id esse, uti omnem est extra controversiam, ita ex adverso maximoperè controvertitur, an & quomodo illud potuerit fieri, aut quo id præcisè tempore sit factum, quibusq; porrò de causis. De singulis pauca, ne de toto nihil dixisse videamur. Ac fieri quidem distinctionem istam, aut distractionem potius, Episcopatus à Presbyteratu potuisse præfractè negat Dionys. Petavius in Herarchiâ suâ passim: Rationem affert hanc potissimum: Quod enim naturâ, inquit, unum est & ejusdem modi, non potest, sine sui mutatione, imò interitu, vel in aliam naturam migratione dividi ac distrahi: Sed tanti non est hæc Petavii adducta ratio, ut propter eâ possibilitatem divisionis Episcopatus à Presbyteratu repudiemus. Quis enim functiones istas, ex quibus constat Presbyteratus & Episcopatus, ita diceret naturâ unum, ut omnem prorsus negent divisibilitatem, aut distractionem citrà sui perniciem ac interitum? De illis quidem corporibus id verum est, quæ ἡνωμένα Græci vocant, sunt que continua, & nullâ arte externâ, sed unitatis suæ naturâ cohærentia. Sic nec homo, nec arbor, nec statua sine sui interitu ac pernitie dividi possunt; sunt enim ἡνωμένα suæque unitatis naturâ cohærentia, ita, ut si alterum unitorum tollatur, aut partitio, aut dissectio instituatur, totum illud concidat, ac pessum prorsus eat. Talis verò non est Presbyteratus & Episcopatus in uno homine, sed est congeries saltē, seu συναθροισμὸς pluriū functionū nō naturaliter sed moraliter saltē, cohærentium ad unum aliquod officium. Est igitur unum saltē per accidens & per aggregationem, quod vocant, cujus partes haud secus citrà sui perniciem ab invicem possunt dividi, quam ovis à grege, granum ab acervo tritici, lignum à strue. Et quid quæsò de facti possibilitate vitilitigamus, cum de veritate ejus abundè constet?

consiet? Annon ineptum foret prolixè quærere, qui Romanus ille Hierarcha ad tantum potestatis & honoris fastigium potuerit evehi, aut illud in dubium vocare, cum ille thronum suum pridem stabiliverit, ejusdemq; superbâ possessione â multis jam retrò seculis gaudeat? Dicerent insanire nos Pontificii cum ratione, nec id quidem immeritò! Idem igitur Petavius *sibi quoque dictum habeat abs nobis, aut illud indictum velit, quod dictum est ipsi prius. Disjungi itaque & separari Presbyteratum ab Episcopatu potuisse, dubium planè nullum superest, cum eventus id ipsum satis superque docuerit. An verò ex instituto & voluntate Apostolorum distinctio ista Unius officii, quod duobus insignitum erat nominibus, sit profecta, id supra pluribus est disquisitum & examinatum. Risum mihi profectò movet* Petavius, *dum id affirmat, & moveret, nescio cui Ἀγελάστῳ, quin ipsi Heraclito:* Dicit, *inquam,* ordines illos ambos diversos esse ex institutione ac voluntate Christi, hoc est ejusmodi, ut à se invicem disjungi potuerint, ac separatis personis inesse. *Egregia profectò illatio! Christus instituit Presbyteratum, qui distingui potuit, & inter diversas personas distribui. Ergo diversos instituit ordines; Ergo Episcopatus & Presbyteratus ex institutione Christi diversi sunt gradus: Si ita licebit concludere, quid non instituto & voluntati divinæ tribuetur tandem? Gratulabuntur sibi non immeritò de hac liberalitate* Petavii *ex* Calvinianis, *qui lapsum Adami ad voluntatẽ, decretum & ordinationem divinam referunt. Certum enim est, Adamum creatum fuisse labilem, hoc est, talẽ, qui potuerit etiam labi, quamvis simul non labi; si igitur labi potuit ex divinâ formatione, lapsus quoque est ex ejusdem instituto, decreto, ac voluntate. Quid ad hæc* Petavius? *Haud secus fundatores boni alicujus regiminis possent dici Tyrannidis auctores, cum talem condiderint Rempublicam, quæ istiusmodi mutationem pati, & in Tyrannidem degenerare possit aliquandò. Imò nulla prorsus in religione mutatio, nulla ab ipsâ ejus primâ institutione deflexio ac defectio tanta fingi potest, quin attribui primis ejus institutoribus debeat, si huic ar-*

 gumenta.

gumentationi. à potentia sc. ad actum, à posse ad Esse ipsum detur locus. Magno igitur apparatu magnas adornant nugas, qui Presbyteratum ab Episcopatu nec disjungi potuisse, neque ex divinâ voluntate & instituto Apostolico disjuncta non fuisse contendunt. Tempus ergò disjunctionis, seu mutationis hujus, ejusdemque causas inquiramus potius. Illud fateor definiri abs me non posse, aut præcisè indicari. Silet hic Antiquitas; dissentiunt recentiores; nihil usquam certi quod videam. Salmasius post Apostolorum discipulorumque Apostolicorum tempora hunc morem cœpisse contendit, & assignat ei à Christi resurrectione medium seculum, in Wall. Messallino p. 181. & 236. & in Apparatu ad Pr. Papæ p. 66. David Blondellus ad annum circiter 136. penes seniores presbyteros sub Apostolis tam principalibus, quam adlectis, primæ in presbyteriis cathedræ ac potestatis jus orbe toto mansisse asserit, præfatione ad Apolog: sententiæ Hieronymi. pag. 7. Nos hîc ἐπέχειν, quam cornicum oculos confodere malumus. Variant porrò Patres in causâ assignandâ, quæ divisit ordines, Episcopalem & Presbyteralem, cum anteà unus esset. Hieronymus ad schismata tollenda id institutum vult, S. Hilarius ideò veteris æqualitatis rationem immutatam putat, quia sequentes presbyteri cœperunt indigni inveniri ad primatus tenendos, atque ideò prospectum concilio, ut non ordo, sed meritum crearet Episcopum unum, qui toti presbyterio præesset. Nam quamdiu mansit æqualitas inter omnes ejusdem ordinis, solebat ex ordinationis tempore deferri primatus antiquiori, s. primo omnium in ordinem adlecto. Alio tamen loco superbiâ Doctorum eum pristinum morem exolevisse dicit, quô à Senioribus regebatur, ut Synagoga. Ambrosius apud Amalarium idcircò novæ institutioni ansam factam asserit, quia B. Apostolis decedentibus, illi, qui post illos ordinati sunt, ut præessent Ecclesiis, illis primis exæquari non poterant, neq; miraculorum testimonium par illis habebant, sed in multis aliis inferiores esse videbantur. Quæcunque verò istarum causa moverit Ecclesias ad eam immutandam rationem, quam ab Apostolis, & eorum successoribus ac discipulis tradi-

tam

tam acceperant, hoc tamen in confesso est apud omnes, eodem tempore & quasi uno decreto per omnes alias Ecclesias νεωτερικὴν istam τάξιν receptam fuisse, quâ nomine mutato, unus Episcopus κατ' ἐξοχὴν ita dictus multis Episcopis, jam non Episcopis appellandis, præfectus est. Testatur id diserte Hieronymus *in Epistolam ad* Titum: In toto, *inquiens*, orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, *ad quem Ecclesiæ cura pertineret.* S. Hilarius *in Epistola ad Episcopos, immutatam priscam rationem esse dixit*, prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum crearet Episcopum. *Sic igitur desuevit paulatim & periit ista Apostolica circa Ecclesiæ regimen dispositio ex Ecclesiâ, & inæqualitas introducta inter ministros. Non existimandum tamen est, inter initia statim mutationis hujus ad extrema ventum esse, ita ut ordinum distinctio ex omni suâ parte fieret, & potestatis, jurisq; divisio existeret. Non, inquam, opinor, tam subitò omnia ad alterum extremum declinasse. Sola primum nominis immutatio intercessit, ait* Salmasius in Wallon. Missal. *c. 5. ut honoris tantum gratiâ, qui primus, vel Princeps collegii electione fiebat, Episcopus κατ' ἐξοχὴν diceretur.* Decretum, *pergit ille*, primò fuit, *ut* ex solis presbyteris ille qui in Episcopum eligendus esset, sumeretur & â solis presbyteris ordinaretur. *Hoc verò paulatim etiam in desuetudinem abiit & abolitum est, inductâ post aliâ consuetudine, ut solis Episcopis Episcopum ordinare liceret. Et hoc in concilio* Nicæno tandem confirmatum *esse, omni presbyteris jurisdictione & ordinatione abnunciatâ, solis verò Episcopis assertâ, docent ejus Canones, cum primis quartus. Sic igitur* prima *se habet ab Apostolico instituto in Ecclesiastico regimine mutatio, æqualium sc. Presbyterorum & Episcoporum in non æquales, multumque sibi dissimiles.*

§. 20 *Ab Episcopis itum porrò est ulteriùs & altiùs, ad METROPOLITANOS scilicet, aut ARCHIEPISCOPOS. Sicut enim isti presbyteris antè suis, sic hi Episcopis præfecti sunt & superimposi-* 2. Metropolitani suprà Episcopos. *ti.* Quo id præcisè tempore *factum sit, iterum non satis liquet*

ex antiquis Patrum monumẽtis. De nomine certè Metropolitanorum nullũ constat, illud non apud Ignatium, nec Irenæum, nec Justinũ, nec Tertullianum, nec apud alium quemquam primi & secundi seculi Doctorum reperiri: Epistolæ quidem Clementis, Anacleti & similium mentionem istius faciunt, quas tamen ψευδεπιγράφους & supposititias esse, qui non subolfaciat, næ illum dixerim esse μεσῆν εἶναι κορύζης. Tertii porrò seculi scriptores nullius planè Metropolitani meminerunt: qua propter post illa tempora Metropolitanos primum introductos esse vero perquam est simile. Occasionem hujus instituti & causam deprehendimus passim nec unã, nec momenti quoq; ac ponderis nullius. Nimirum fuit in Episcopali ordine observatum, quod in cæteris quibuscunque, videlicet, ut primus haberetur, qui vel ætate, vel adlectionis ordine reliquos antecederet. Placuit enim id temporis Ecclesiæ Doctoribus, ut prima quæq; urbium provinciæ primum etiam haberet Episcopum, & qui in eà sc. ordinaretur Episcopus, primatũ posideret, & prima eius sedes, ipse verò primæ sedis Antistes diceretur. Unde sicut ista Μητρόπολις s. Πρώτη τῶν πόλεων dicta, sic iste Metropolitanus, seu πρῶτος τῶν ἐπισκόπων, aut ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΣ audiret. Atq; ex hâc solà civitatum magnitudine, secularig; dignitate Ecclesias magnâ ex parte gradus hosce Ecclesiasticos sortitas esse, fatentur Concilii Chalcedonensis Patres: Si quæ, inquiunt, cap. 17. civitas fuerit imperiali potestate innovata, hoc est, ad dignitatem Metropolis evecta, similes ac publicas formas Ecclesiasticarum quoq; rerum ordo consequi debet. In Concilio quoq; Taurinatensi tempore Siricii, ut dirimeretur certamen inter Episcopos Arelatensi & Vienn. de primatu Metropolitano decertantes, definitum fuit C. 11. ut qui ex eis probaverit, suam civitatem esse Metropolin, is totius provinciæ honorem obtineret, & ipse, juxta præceptum Canonum, ordinationum haberet potestatem Idem, planè docet Antiochenæ Synodi Canon. IX. τὰς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ, inquit, τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ μηδὲν τὰ πρότιμα ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης: addit etiam post pauca rationem,

cur

cur in primatu per Provincias uni Episcopo astruendo, id honoris ei potissimum delatum sit, qui in primâ civitate seu Metropoli sederet, quia nempe concursus hominum ac negotiorum ex totâ provinciâ in Metropolin fieret, ob judicia, quæ ibi exercentur, ὅθεν, (ita pergunt patres Antiochenæ Synodi Canon. cit.) ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν; quibus verbis honoris simul primatus Metropolitano præ reliquis Episcopis adjudicatur. Et hinc apparet evidenter, occasione urbium cujusq; provinciæ nobilissimarum, Metropolitanorum nomen & privilegia prodiisse primum. Idem porrò ob Ecclesiæ tranquillitatem conservandam introductum simul esse, inq; remedium aut προφυλακὴν potius schismatis, negare non potest, qui altius Ecclesiastica munia expenderit. Neque enim satis video, qui præcaveri potuerint dissidia ac turbæ variæ, nisi hoc salutari instituto. Poterat scilicet usu venire in Ecclesia, ut in commune quid consulendum, & quod publicum provinciæ (cujus singulis civitatibus singuli præerant Episcopi) totius commodum spectaret, procurandum oboriretur. Fieri porrò haud secus poterat, ac factum procul dubio sæpius, ut Episcopus presbyterum suum accusaret, aut ipse à Clero suo accusaretur. Hic certè judice, hîc proponente aliquo opus erat. At quis eorũ præ reliquis ad hoc erat adhibendus? Erant omnes Episcopi, omnes inter se pares; poterat igitur id quisq; sibi vendicare, sibiq; deberi præ reliquis contendere, atq; ita scinderetur miserè fraterna, quæ inter illos erat, aut esse debebat, conjunctio. His igitur & similibus turbis & contentionum seminibus inventum est hoc remedium, ut omnium consensu primatus deferretur Episcopo, in primâ totius provinciæ civitate, s. Μητροπόλει residenti: & huic, præter suam, quam propriè gubernabat, Ecclesiam omnis simul totius provinciæ cura commissa est, ad ea providenda, ac moderanda, quæ in commune ad omnes pertinebant. Datam etiam isti in conventu primam fuisse sedem, cum reliqui omnes in secundâ sederent Episcopi, ex Constantini M. Epistolâ ad Syracusanum totius Siciliæ Metropolitam liquet: ubi inter alia jubet ipsum ad se venire, juxtaq; secum adducere δύο τινὰς τῶν ἐν δευτέρᾳ

θένα, alterae sedis Episcopos. Munus praetereà primi Episcopi s. Metropolitani quodnam fuerit, explicat Canon Antiochenus IX. cujus verba suprà allegavimus. Nimirum praeses & director provinciae suae, concilii q., si quod adornabatur, erat Metropolitanus: ipse convocabat ac indicebat provincialem conventum: ipse praesidebat tanquam Senatus Princeps, assidentibus Episcopis caeteris: in hoc etiam praecipuè autoritas ejus eminebat, quod confirmatio electorum & ordinatorum Episcoporum ab ipso esset petenda. Non agnoscebatur enim pro Episcopo quis ante, quamvis ordinatus & electus à caeteris, quam Metropolitanus consensum suum confirmatione fuerat testatus, ut liquet ex Canone Niceno 6. Plura de potestate Metropolitanorum vide apud Marcum Antonium de Dominis lib. 3. de Republ. Ecclesiastica c. 5, 6. 7. & segq. Et haec est illa Metropolitanorum institutio & auctoritas, haud secus atq. illa Episcoporum suprà Presbyteros praeter institutum Apostolorum in Ecclesiam introducta exaltatio. Erat illa satis excellens & sublimis, nec procul à Monarchico Regimine, accedente cumprimis turpi isthâc aemulatione, de πρωτοκαθεδρία seu primatu, inter ipsos Metropolitanos acerbâ concertatione. Animadvertebant id ejus aevi Patres, & nescio quid sibi mali metuebant ab enormi isthâc Metropolitanorum potestate. Quapropter, ne qui fortè ad principatum abuterentur istâ, sollicitè caverunt, ne primi vocarentur Episcopi, aut Episcoporum Principes, aut summi sacerdotes, sed primae duntaxat sedis Episcopi. Et hac de re peculiare decretum tulerunt in Carthaginiensi Concilio, quod exosos istos Metropolitanorum titulos prorsus proscribit & ex Ecclesiâ eliminat. Tantoperè scilicet aversabantur religiosi Antistites omnem φιλαρχίαν & dominatum in Ecclesia, ut nullam etiam appellationem audire voluerint quae tenuem quamvis, dominationis umbram praeferret ac involveret. Tanti fecerunt illud Salvatoris: ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως: Tanti aestimarunt illud Petrinum: μηδ' ὡς κατακυριεύοντες. Abstertuit eos sanctum illud concordiae studium & aequalitatis inter pares

retinen-

retinendæ ab omni luxuriantium titulorum usurpatione ac tole-
ratione. Utinam ex voto successissent omnia!

§. 21. Sed fracti *sunt postmodum obices isti, & ad augustio-* 3. Patriar-
res pedetentim itum est titulos. Structus enim est tertius *Epi-* chæ supra
scoporum gradus, & Triparcitus *factus Episcoporum ordo, dum* Metropoli-
Patriarchæ Metropolitanis, *ut hi* Episcopis, *& Presbyteris* tanos.
Episcopi superiores sunt declarati, Quod ipsum quando præcisè
factum, haud secus ac priora referre non ausim. Nomen quidem
Patriarchæ *maturè in Ecclesiam irrepsisse* video, *non tamen jus*
simul illud ac peculiarem dignitatem, quàm postmodum obtinuit.
Idem quippe, qui Metropolitanus *erat,* Patriarcha *dicebatur*
aliquamdiu, teste Socrate *lib. 5. c. 8.* Hist. Eccl. *ubi docet, quomo-*
do Concil. Constantinopolit. I. Patriarchas constituerit, divisis unic-
uiq; provinciis, quorum limites nulli liceat transcendere ad ordi-
nationes faciendas. Attribuit porrò Patriarchis provincias, atq;
inde vocat provinciarum primates. Nec illud genus Patriarcha-
rum cognitum fuisse ante Concil. Constantinopolitanum I. audacter
asserit CL. Salmasius, *quamvis non diu post illud dignitatem*
Patriarcharum supra Metropolitanos evectam fuisse, existimet
idem, tract. de Prim Papæ passim. *Quicquid hujus sit (mo-*
menta enim & terminos harum mutationum ex antiquitate eru-
ere, nec libet nec libet nobis, ad seriora properantibus) factam esse
antiquitus Patriarchiatus supra Metropolitanos constitutionem,
Concilii Chalcedonensis *statuta liquidò asserunt. Quæ porrò*
Patriarchatus hujus occasio, *quæque instituti* ratio *paucis indi-*
candum. Primam hujus summæ & amplissimæ dignitatis in Ec-
clesia causam fuisse Ambitionem, *apud omnes est in confesso.*
Huic tamen occasionem & ansam suppeditasse compertum est diœ-
cesium in Regimine civili institutionem. Hæ enim sub Constanti-
no M. primum institui cœptæ, dictæq; provinciæ aliquot a uno ex
vicariis præfecti prætorio administrari solitæ, suos produxêre tan-
dem Exarchos & primates διοικήσεων, qui & Patriarchæ *propriè*
vocati. Quemadmodum igitur Episcoporum ambitio causam ejus

exer-

exercendæ ac provehendæ dedit ex urbium dignitate, in quibus fuerant locati, ita & post institutas diœceses, quæ prima erat & dignior diœceseos provincia, in cujus majori civitate vicarius residebat, ejus quoq; civitatis Episcopus eò nomine præferri se debere censuit cæteris diœceseos Metropolitanis. Hinc illa Patriarcharum dignitas vires & incrementa sumpsit, usq; dum accessit communis Patrum consensus, civilisq; Magistratus autoritas, quæ gradum hunc multis legibus munivit, splendidisq; privilegiis adauxit. Numerus Patriarcharum præcipuorum quinarius fuit in toto orbe Romano: Initiò tamen tres tantum exstitêre, quia tres tantummodò erant Regiæ urbes: Roma in Italia, Alexandria in Ægypto, & Antiochia in Syria. Has enim verè Regias civitates & Metropoles fuisse Imperii Romani totius, testatur Hegesippus Junior de Excid. urbis Hierosolymit. lib. 39. c. 5. Accessit istis postea Constantinopolitanus & Hierosolymitanus. Hic ex Synodi Generalis quintæ: iste ex concilii Constantinopolitani 1. & Chalcedonensis decretis: ita ut quinq; Patriarchales potissimum sedes fuerint juxta computationem Concilii 8. Generalis dist. 22. c. fin. Et ordo quidem per hanc postremam accessionem quadantenus fuit immutatus. Postquam enim quarta excrevit Constantinopolis, non quartum tamen sortita est locum, sed (ex dignitate procul dubio loci, propterea quod sit nova Roma juxta Concil. Constantinopolit. 1. c. 3.) secundum post Romam. In tertium conjecta est Alexandria, in quartum verò Antiochia. Quintum & postremum nacta Hierosolymitana, & eundem cujusq; Antistes seu Patriarcha. Insignem porrò dignitatis potestatisque excellentiam cum Patriarchali titulo accepêre quinque isti Antistites. Nam & ordinatio, & correptio Metropolitanorum eis fuit assignata, partim consuetudine quadam, etsi non universali, partim Synodorum Regionalium commissione, conniventiaque, partim verò Patriarcharum usurpatione: liquet id ex Concil. Chalcedonensi. Hoc enim, ubi Constantinopolitanam Ecclesiam fecit Patriarchalem, statim ei primum Patriarchale jus explicavit, ut in iis scilicet,

quæ

quæ in Ponto sunt & in Asiâ *& in* Thraciâ *diœcesibus Metropolitanos solos; rursus autem & qui inter barbaros sunt, Episcopos præfatarum diœcesium ordinaret Sanctissimæ Constantinopolitanæ sedis sanctissima Ecclesia. Correptionem præterea Metropolitanorum tribuit* Patriarchæ Constantinopolitano *concil.* Chalcedonense. *c. 9. 11. q. 1. si cler. Verba ejus hæc sunt:* Si adversus provinciæ Metropolitanum *Episcopus vel Clericus habet querelam, petet* Primatem (*Ita* Patriarcha *dici solebat aliquamdiu diœceseos*) aut sedem Regiæ urbis Constantinopolis, & apud ipsum judicetur. *Cumprimis verò de potestate Patriarcharum notari meretur* Octavæ Synodi *generalis* Canon. 17. *qui talis:* Sancta & universalis Synodus Nicæna prior, antiquam consuetudinem jubet servari per Ægyptum & provincias, quæ sub ipsa sunt, ita, ut horum omnium Alexandrinus habeat potestatem, dicens, quia & in Romanorũ civitate hujusmodi mos prævaluit: Qua pro causâ & hæc Sancta & magna synodus tam in seniori & novâ Româ, quam in sede Alexandriæ, Antiochiæ & Hierosolymorum priscam consuetudinem decernit in omnibus servari, ita, ut eorum præsules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur sive per manus impositionem, sive per palliidonationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet, ad convocandum urgente necessitate ad Synodalem conventum, vel etiam ad coërcendum illos & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsan accusaverit. *Hæc & alia privilegia* Patriarchis *paulatim indulta & decreta tandem fuisse, ex his & similibus conciliorum statutis videre est. Dubium igitur nullum, quin reliquis Metropolitanis & Episcopis dignitate & potestate variâ longè fuerint sublimiores. Quod si vero hos quinque celebres* Patriarchas *conferamus, & unum cum altero comparemus, nullam prorsus inter ipsos disparitatem, præter solum dignitatis & præcedentiæ ordinem inveniemus. Nimirum potestate & autho-*

):( ):( ):( ):( ):( ):(*ritate*

ritate inter se fuerunt omnes æquales. Nemini primatus ἀρχοντείας in cæteros fuit assignatus: communi omnes consilio gubernarunt Ecclesiam, ut ante Presbyteri οἱ Ἐπίσκοποι, posteà ἐπίσκοποι τῶν πρεσβυτέρων, & sequentibus porrò temporibus Metropolitani supra hos omnes. Quisque erat suis limitibus Patriarchalibus coercitus; nemo in alterius parochiam aut Patriarchatum debuit irrepere, aut irrumpere. Quisque in suo Patriarchatu summus erat & primus, primæq; sedis possessor: paribus omnes privilegiis ornati; paribus omnes constricti legibus, multisque cancellis quasi circumdati, ne ad Monarchicã fortè κατάρχιαν potestate suâ abuterentur. Et quonam quæsò jure superioratum affectaret ex his aliquis, quicunque tandem? Non certè divino: hoc enim nullâ veri specie potest produci. Tantum profectò abest, ut ex hoc Metropolitani super Episcopos, aut Patriarcharum supra Metropolitanos constitutio possit deduci, ut ne quidem Episcopi supra Presbyteros, quod superius evicimus. Ecclesiastico quoque jure superioratum qualemcunque stabilitum esse nusquam legimus: quin omnia huic potius adversa. Hieronymus, duas illas superiores sedes, in Occidente alteram, alteram in Oriente considerans, earumque Episcopos æquè contra Origenis errores insurgentes, non unum præ altero, sed æquè utrumque extollit: Duos, inquit, Orientis & Occidentis Trophæophoros alacri sequamur incessu, adversus Ruffinum Apol. 3. Ipse porrò, ut alia consultò præteream, Patriarcha Romanus Gregorius pro hac æqualitate Patriarcharum fortiter pugnavit. Cum enim Constantinopolitanus Patriarcha Universalis, seu Oecumenici sibi titulum arrogaret, ipse graviter id improbabat, ac reluctabatur; Si, inquit, unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur l. 4. Indict. 13. Epist. 36. Idem, Antiochenum & Alexandrinum Patriarcham excitat, ut secum resistant superbis Constantinopolitani machinationibus & simul proprium honorem tueantur, ne unus supra cæteros elatus, cæteris patriarchatum eriperet. Hæc & alia plura pro æqualitate Patriarcharum Gregorius.

§. 22. Non

§ 22. Non tamen perpetua *fuit ista* Patriarcharum *æqualitas Ecclesiæ proh dolor! Dimicatum enim perpetuò est de superioratu idque accerrimè, inter* Constantinopolitanum *cum primis &* Romanum. *Neuter altero voluit videri ignobilior, aut inferior. Quisque primatum sibi deberi existimavit. Hinc illæ contentiones: hinc jurgia: hinc scandala: hinc ista miserabilis Ecclesiæ facies, quæ etiamnum apparet. Ac primò quidem ægerrimè tulit* Romanus Patriarcha, *quod* Constantinopolitano *proximus à se locus assignaretur,* Alexandrino *in tertium,* Antiocheno *vero in quartum rejectis.* Alexandrinæ *quidem sedis Episcopus, cui tamen ille præferebatur, pensi illud non habuit; quin ipsi interfuit Synodo, quâ id fuerat decretum, imò assensione quoque sua id ratum habuit, ac ne verbo quidem contradixit.* Antiochenus *quoque, cui injuria fiebat, quod in quartum locum removeretur, ei decreto, quo honorabatur Constantinopolitanus Præsul, haud gravatè assensus est: Nec* Hierosolymitanus *dissensit. Enim verò non latebat eos,* Alexandrinum *dico &* Antiochenum, *omnem illam dignitatis ac potestatis, quam præ cæteris orientalibus Episcopis habuerunt,* ἐξοχὴν, *ex urbium, quibus præsidebant, merito sibi contigisse: Non igitur poterant iniquo animo ferre, sibi ejus urbis Episcopum anteponi, quæ non modo parem afferret magnitudinem, & quidem ampliorem, sed quæ Imperialis etiam sedis majestate præcelleret. Cesserunt igitur libenter, & quod sibi factum ante, Constantinopolitano fieri non detrectarunt.* Romanus *verò Patriarcha nullatenus sibi admittendum illud duxit. Verebatur enim, ne luminibus suis officeret, aut ne ea tandem penitus obscuraret nova illa lux exoriens, tanto præcipuè fulta suffragio. Nec falsum fuisse Romani Episcopi* Leonis *præsagium, aut vanis pro suâ illâ sede inquietatum timoribus, eventus tandē docuit. Nam secundi post* Romanum veterem *prærogativâ loci non contentus* novus *ille* Romanus, *primum quoq; aliquando ambire cœpit, & aliquamdiu habuit plausibili sanè ratione & regulæ consentaneâ, quia non amplius urbs illa vetus dominaretur, quæ causa illi prin-*

4. Pontifex Romanus supra Patriarchas totamq; Ecclesiâ Monarcha; Et sic Ecclesia facta est BICEPS, altero ejus capite Christo, altero Papa existente.

cipatum asserueratⁱ. Uti verò in hoc non excuso Constantinopolitanum, ità Romanum etiam tueri ac laudare neutiquam possū. Quin iniquum planè hunc fuisse dico, dum alterum honore secum exæquari abnuit, qui non solum æquè magnæ urbi præesset, sed etiam æquè imperanti, ac regni sedem alteram obtinenti. In eo enim cumprimis Magnus ille Constantinus laborauerat maximè, ut æqualem Romæ, mœnium ambitu & ædificationis magnificentiâ, suam faceret Constantinopolim. Socrates l. 1. c. 16. ἐπίεν δὲ τοῦτο περὶ τὰς ἄλλας πόλεις καὶ ἐν τῇ αὐτοῦ ἐπωνύμῳ, τὸ βυζάντιον καλουμένην πεφτεφον, τὸ πεφτεφον ὤυξησεν, τείχη μεγάλα περιβαλών, καὶ διαφόφοις κοσμήσας οἰκοδομήμασιν, ἴσην τε τῇ βασιλευούσῃ Ρώμῃ ἀποδείξας κωνσταντινούπολιν ἀνομάσας. Quin & secundam Romam edicto sanxit vocari: Id. eod. loco. χρηματίζειν δὲ δευτέραν Ρώμην νόμῳ ἐκύρωσεν, ὃς νόμος ἐν λατίνῃ γέγραπται φήμῃ, καὶ δημοσίᾳ ἐν τῷ καλουμένῳ σφατηλίῳ τοῖχῳ ἔστηκεν ἐφ' ἑαυτοῦ ἐφίππου παρεστηκε. Sic altera Romarum vocata est Constantinopolis. Quin Νέαν Ρώμην seu Novam Romam Principes appellari eam maluerunt, ne secundæ nomen inferiorem illam intelligi faceret, quo Roma Vetus prima agnosceretur. Parem igitur hanc isti haberi voluerunt, & ne nomine quidem inferiorem, tantum abest, ut reipsâ. Imò diviso post Constantini M. mortem imperio in Occidentale & Orientale, ut Roma vetus facta est caput Occidentis, sic Orientis Constantinopolis seu Nova Roma. Tantam igitur dignitatem cum adepta sit nova Roma, æquum ne fuit, ut in postremis hæreret ejus Episcopus? An justum, quæro, fuit, nihil prodesse urbis suæ amplitudinem, divitias, potentiam, imperium denique, quæ omnibus semper Episcopis profuerunt? Unde igitur Episcopis Romæ veteris illo etiam tempore hæc tantæ suppetebant copiæ, ut procederent vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas; adeò, ut omnia convivia regales superarent mensas, sicut de his scribit Ammianus Marcellinus. Unde, inquam, hæc omnia aut facere possent, facultas suppetebat, nisi ab urbis abundantiâ? Ab Apostoli profectò Petri præceptis & institutis, successoribus hæc vivendi formula tradita

dita neutiquam. Rectius igitur feciſſet dubiotenus Romanus ille Præſul, ſi haud ſecus atque Alexandrinus Romæ dominantis Epiſcopo parem ſecum honorem ac autoritatem, aut ſecundum à ſe locum non invidiſſet. Conſtantinopolitanæ certè Synodi Patres id æquum juſtumq; cenſuerunt. Unde non minus Conſtantinopolitano quam Romano Patriarchæ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς decreverunt; Chalcedonenſis etiam Synodus non hæc modò, ſed πρεσβεῖα abſolutè Conſtantinopolitano decrevit, quin ἴσα πρεσβεῖα cum Romano, & voluit, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην ſc. Eccleſiam μεγαλύνεσθαι πράγμασιν. Hiſce ſtatutis & ordinationibus debuiſſent acquieſcere Romanus pariter & Conſtantinopolitanus Patriarchæ, & dignitate quisque ſuâ ſatis amplâ & plusquam Apoſtolicâ libenter eſſe contenti. Sed quò non mortalia pectora cogis auri & honorum ſacra fames? Quid non deſignat turpis illa, inter ſacros potiſſimum & religioſos ordines, ambitio? Summa imis, ſacris profana audacter miſcet, nec quieſcit ante, quam primas (ſeu dolus, ſeu virtus fuerit medium, perinde æſtimat) aſſecuta fuerit partes, fractis licet omnibus juris humani pariter ac divini repagulis. Documento eſſe poteſt, ſi quidquam evidens eſſe poteſt aliud, hæc Conſtantinopolitani cum Romano lucta ac contentio. Hic ferre noluit, nec potuit parem: Iſte ſuperiorem hunc agnoſcere neutiquam voluit: Conſtantinopolitanus Oecumenici titulum, ne Romano videretur minor, ſibi arrogavit: Romanus, quo hunc coerceret, eundem: Et hic quidem iſtum, quod hunc ſibi titulū arrogaſſet, vehementer accuſavit, ac traduxit paſſim, ceu conſtat ex Pelagii Secundi, Gregorii & Leonis Epiſtolis ad varios: non quod nomen Oecumenici Eccleſiæ Antiſtitem non deceret, ſed quod ſe potius, quam alios, quam vis illud paſſim strepant, & inculcent. Gravis igitur hæc lucta fuit Romani cum Conſtantinopolitano de Primatu, utroque omnem movente lapidem & γαῖαν ὕδατι φυρῶντε, ne ſuccumberet.

§. 23. Poſtremum tamen prævaluit in hac luctâ (neque enim potuit aliter) ex illis alter, & primas aſſecutus eſt, altero de-

pressò, & tantum non conculcato. Et quis quæso dubitaret, quin Romanus palmam & victoriam fuerit adeptus, qui intolerabilem illum fastum (*urbis enim excellentiam, curiæ Imperialis commoditatem, Imperatorum præsentiam, & cum ipsis frequentem ejus familiaritatem lubens hîc prætereo*) *ejus secum ponderaverit? Erat profectò nativum & perpetuum Romanorum Episcoporum vitium* SUPERBIA. *Conqueritur & deflet eandem amarè* Hieronymus *in proœm. l. 2. in Epistolam ad Galat. ex Rom. c. 12. Noli altum sapere; &c. Epistola etiam 18. ad Marcellum:* Est quidem, *inquit*, sancta isthæc (*Romanam indigetat*) Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum & martyrum; est Christi vera confessio &c. sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo urbis, videre & videri, salutare & salutari, laudare & detrahere, & tantam frequentiam hominum saltem invitum videre â proposito Monachorum & quiete aliena sunt. *Hinc interminatur & præsagit illud* Apocalyps. *Cecidit, cecidit magna Babylon.* Gravius Basilius *Epist. 10.* Quale nobis, *inquit* auxilium ab Occidentalium supercilio & fastu aderit? &c. *Et alibi:* Odi, *inquit*, fastum illius Ecclesiæ *apud* Baron. *tom. 4.* Anno 372. *num. 32. Eandem superbiam objecerunt postea rursum Orientales Rom. Pontifici, dum nimio rigore schisma faciebat, abrumpens communionem cum ipso Oriente, cum* Acacio, *qui hæreticus non fuit, sed justis de causis, ut ipsi Orientales censuerant, cum hæretico* Petro Alexandrino *communicavit, ceu videre est ex Epist. 10.* Gelasii *ad Anastasium. Mirum igitur non esse debet, si ubi fastus & superbia dominatur, ibi dominium etiam & imperium acquiratur. Occasione enim aliquorum privilegiorum, quæ partim ex Ecclesiasticâ consuetudine & patrum decretis, partim ex urbis etiam dignitate, & Imperatorum præsentia ac largitionibus possidebat, intra limites se continere nolens* Romanus *Patriarcha, paulatim ita exundavit, ut Monarchiam ad se solum, oppressis &* Primatibus & Episcopis & Patriarchis, *plenam rapuerit, & audacter occupaverit. In quo licet Imperatorum primum studia ipsi plurimũ condu-*

conduxerint, casus tamen ac ruina Imperii fuit prima & præcipua Majestatis ejus erectio ac stabilimentum: sublato enim Inspectore ac Coryphæo laxatis frænis in Tyrannidem facilè præceps ruit, atq; ad tantum fastigium citrà laborem assurrexit. Tulit ipsi porro suppetias Carolus ille M. Rex potentissimus, qui Imperium penè totius occidentis Imperatori ereptum sibi subjugarat. Hic, cum Imperiali titulo à Romano Pontifice fuisset decoratus, ingratus esse noluit, sed terrenum ei, idque non exiguum repensis vicibus concessit in Italia Principatum, & ex Episcopo tantum non Regem fecit. Hoc igitur nobili Principatu auctus Romanus Episcopus, tantò facilius Ecclesiam opprimere, eique libertatem suam eripere, inq; toto Occidente sibi potuit subjugare. Quis enim ei ex Prælatis & Episcopis resisteret, quos Imperator novus, aliique Reges & Principes, Papæ mancipia, ne mutire quidem & hiscere contrà Papam permittebant? Imò verò Papatu eximio jam erecto ac stabilito magnus, ut fieri solet, passim Adulatorum exortus est numerus ex ipsis Clericorum castris; Hi occupatam Pontificis sui Opt. Max. scilicet! Monarchiam scriptis stabilire; ex umbone prolixè ampullis suis & sesquipedalibus verbis confirmare: figmentis & pigmentis variis hinc inde emendicatis tueri, & nihil intentatum relinquere, quod dominatui huic suffulciendo posset inservire. Argumentis etiam & probationibus egregiis (credat Judæus Apella.) instructi prodierunt. Hic illud, Petre pasce oves meas; ad ravim usq; exclamavit: Ille Claves Petri jactabundus ingeminavit. Alius de Petrâ Rhetoricatus audacter est: de donatione etiam Constant. M. jactata sunt plurima. Quisq; suas nugas eleganter obvelare, multisq; fucis exornare certatim non erubuit, quin gavisus est. Hæc ex scriptura S. magno omnium applausu produxerunt Papæ Parasiti, quo nova illa ac prodigiosa Majestas Deastri sui quadantenus velaretur. Humanum enim quodcunque jus parum valere visum est, & vix idonei tibicinis instar, ad tantæ molis ædificium, jam pellucente ruinâ undiq; rimosum sustinendum. Ad divinũ igitur jus, quod p o destina sufficeret, necessariò fuit provocandum. Atque ut nihil hu-

jus

jus Idoli sui non esset augustũ ac magnificũ, superbos etiã & augustos commenti sunt titulos, quibus magnificentiam ac splendorem ejus exprimerent. Collegit eos Abrahamus Bzovius in Romano Pontifice suo, cujus singula capita peculiarem Pontificis Romani titulum declarant: Idem fecit Theoph. Raynaudus scripto peculiari, quod CORONAM AUREAM super Mithram Rom. Pontif. dixit. Quæ & alia hujusmodi si evolveris scripta, plurima sanè deprehendes Encomia, & inter ea nonnulla tantum non divina, quibus Deastrum huncce suum insigniverunt turpes ejus Gnathones ac Parasiti: honores etiam plusquam humanos eidem exhibuerunt, quos tantum abest ut ille repudiaverit, ut sibi potius decreverit ac dedicarit, ne toto sc. orbis inde nõ animadverteret, illũ esse ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας, τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας, τὸν ἀντικείμενον, καὶ ὑπεραιρόμενον ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν &c. 2. Thessal. cap. 2. Atque hinc sacrosanctum illud Ecclesia Romana CAPUT, novum prorsus, cunctisq; retrò seculis inauditum, posterioribus verò venerandum, dicam? an detestandum, sub Christo & præter eum, nacta est, magno sui periculo & intertrimento. Hinc sacra ista Monarchia & Αὐτοκρατορία, quæ etiamnum latè longeq; dominatur, magnamq; orbis partem in sui obsequium & admirationem pertraxit. Ita sensim vires & incrementa sumpsit Papalis illa dignitas, usq; dum ad stupendã hancce magnitudinẽ excrevit & adolevit. Nimirũ ex Episcopo vulgari factus est Episcopus sublimior, suisq; Coepiscopis i.e. συμπρεσβυτέροις dignitate & auctoritate major, cumq; cæteris Romanus: Ex Episcopo Archiepiscopus i.e. Metropolita: Ex hoc Patriarcha; postremum totius Ecclesiæ CAPUT ac Princeps Oecumenicus. Hi sunt gradus, hæc incrementa, hi præcipui ordines, per quos, ceu scalam aliquam satis elegantem & opportunam suis machinationibus, ad sublime illud fastigium procedente temporis lapsu adscendit, maximo omnium abusu, ROMANUS PONTIFEX.

§. 24. Quod ipsum uti omni dignum vituperio, & animadversione, ita maximoperè omnibus retrò seculis castigatum & animad-

madversum perpetuò fuit Nimis id longum foret, omnes quà publicas Conciliorum, quà privatas quorumcunq; Ecclesiæ Doctorum contradictiones hîc recensere Hoc certè liquidò constat ex omnium seculorum unanimi testimonio, Pontificios possessionem quietam Hieromonarchiæ suæ Papalis tueri ac stabilire non posse, ut non habeant, quod de Usucapione, quam toties crepant, glorientur: Sæpè enim multumq; ista interrupta est ac violata, idq; non infeliciter, quoties ad jus conatus & factum accessit, & debita in singulis provinciis jurium Episcopalium executio. Ubi verò oppressa tandem Ecclesia jugum hoc à cervicibus suis repellere non valuit, tolerabit illud, quantum potuit, patienter: non tamen silentio suum testata est consensum, sed frequentes identidem doloris miseriæq; suæ emisit testes ex ore calamoq; suorum filiorum, qui, mox acres justasq; criminationes, mox planctus & ejulatus miserabiles ediderunt. Prolixè isthæc omnia recensent, & accuratè collegerunt Centuriatores Magdeburgenses, VII. cujusq; seculi capite, quibuscum conferri possunt, quæ consignavit Marcus Antonius de Dominis lib. 4. de Republ. Ecclesiastica c 8. p. 425. Gerhard. tom. 5. Loc. Comm. th. 339. Exhis & similib9 liquidò apparebit per omnes ferè ætates duellum Papalis insolentiæ & Ecclesiasticæ libertatis; Apparebit, inquam, hinc, Romanos Pontifices omnem navantes operam, ut universam Ecclesiam suæ subderent potestati, adeoq; se supremos, ac solos Ecclesiæ Dominos constituerent; illinc, Ecclesiam ipsam Universalem modo in hac, modo in illà suâ parte CAPITI huic Monstroso se membris superimponere nitenti, obsistentẽ, suamq;, quam à CAPITE Christo acceperat, potestatem ac libertatem tueri satagentem; omnibus deniq; modis immanem hanc MONARCHIAM abs se amolientem, invicem contendisse.

§. 25. De Proximè præcedentium seculorum nostriq; simul ævi adversus Romani Antistitis primatum, odio & contemtu qui dubitaret, næ is veritati manifestæ cornua audacter obverteret, ejusq; testes ignorare se, magno sui opprobrio proderet. Contradicimus isti confidenter ad hunc usq; diem quotquot Orthodoxiam tue-

):( ):( ):( ):( ):( ):( ):(mur,

mur, & Veneranda scripturæ sacræ effata pluris facimꝰ, quã putidæ ista Parasitorum Papalium commenta & deliria, nullũ unquam admissuri ac toleraturi CAPUT *Ecclesiæ aliud, præter Unicum illud ac genuinum* Christum Jesum *salvatorem nostrum. Hoc qui non agnoscunt sed repudiant, vel aliud illi visibile solitarium adjungunt, illi non sunt* ἐξ ἡμῶν, *nec τὸ χεῖρον, sed* ἐξῆλθον ἐξ ἡμῶν, *& satellites sunt* ἀνθρώπου τῆς ἁμαρτίας, *&* υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *&* ἀντικείμενος, καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα *2. Thess. 2, 3. 4.*

§. *26.* Et vide *quæso quanta veritatis vis sit & efficacia! Non soli nos sumus* Lutherani, *aut* Reformati *quos vocant, quibus Fictitium illud VISIBILE CAPUT exosum est ac intolerabile visum. Quin ex ipso etiam Ecclesiæ Romanæ gremio, membrisq; genuinis, surrexerunt haud ita pridem, qui licet nullas CAPITI huic moveant lites, nec ejusdem præcipitium moliantur, sed incolumitatem potius ejus omnibus quærant modis, in hoc tamen illi haud parum detrimenti, ac noxæ afferunt, quod ALIUD eidem Visibile jungendum esse operosè contendant. BICIPITEM isti non UNICIPITEM à Christo Ecclesiam visibilem institutam esse volunt:* UNUM *quidem* CAPUT *esse* PETRUM; alterùm verò PAULUM: Istum *antè*, hunc *verò post* CHRISTI *resurrectionem cum ipso hoc obtinuisse; Neutrum* CAPITIS *appellatione ac titulo defraudandum esse: Utrumq; jure id posse dicere divino. Sic ipsos inter sepugnare videmꝰ ejus dẽ Ecclesiæ filios: sic ipsos de* CAPITE *suo agere comitia deprehẽdimꝰ. Autores hujꝰ cõtradictionis, & Bicipitis hujꝰ Eccl. visibilis assertores dicũtur Sorbonæi theologi quidã, utpote* JOHANNES VERGERIUS HAURAUNIUS, Abbas Sancyranus (*sub* Petri Aurelii *nomine latitans*) *cujus opera totius* Cleri Gallicani *sumptibus edita & in tom. 3. distributa Parisiis apud* Ant. Vitrè, *Regni, Reginæ, & Cleri Gallicani Typographum, Anno 1646. in fol.* FRANCISCUS HALLIER *Doctor itidem Parisiensis & Sorbonæ Professor, libris IV. de Hierarchiâ Ecclesiasticâ, Cleri Gallicani Proceribus dicatis & editis in folio Paris.* ANNO 1646. &

ANTO-

§. A modernis vero quibusdam TRICEPS statuitur, qui unum ejus Caput Christum, alterum Petrum, tertiũ Paulum fuisse contendunt.

ANTONIUS ARNAULDUS, qui libelli de Ecclesia bicipiti visibili, quẽ examinandũ retundendumq; sibi sumsit THEOPHILUS RAYNAUDUS, author esse dicitur: quibus author hic libri de Bicipiti Ecclesiâ visibili addit GENEBRARDUM, FEURARDENTIUM, CLAUDIUM TAURINENSEM &c. Sic ex BICIPITI TRICEPS tandem Romana Ecclesia MONSTRUM, & κυκλώπειον τέρας produxit, inq; Ecclesiâ DEI erexit, dum CHRISTO PETRUM pariter ac PAULUM, Vero falsa adjunxit & spuria Capita. Et hinc graves in Romanâ curiâ exortæ sunt lites, & acres passim cõcertationes. Parisienses isti TRICEPS illud monstrum, quod ex CHRISTI simul, & PETRI, PAULIQ; in Ecclesia dominio fabricarunt, multis propugnant & tuentur rationibus, & argumentis non sanè nullius roboris ac momenti: Testimonia scripturæ quamplurima adferunt. Concilia allegant: Pontificum suffragia producunt; Patrum autoritates citant, & nihil non moliuntur, ut opinioni suæ colores aliquos affingant. Reliqui contra Pontificiæ Monarchiæ proceres ac Hyperaspistæ malunt disrumpi, quam Paulo juxta cum Petro æquale largiri dominiũ. Hinc omnẽ movent lapidẽ, & varia undiq; conquirunt tela, quo altero refecto capite, PAULO sc. PETRO suã reddant integritatem, Pontificiq; Monarchiã asserant. Ipse sanctissimus scilicet! Ecclesiæ Pontifex, INNOCENTIUS X p.m. paucis abhinc annis retrò, Bulla peculiari MONSTRI TRICIPITIS Patronos severè castigavit, & hæreseos damnavit, vix etiam ab Excommunicationis fulmine temperare sibi potuit: nec id immeritò, aut temerè. Quis enim quæso Princeps ac Monarcha, alium sibi ejusdem potestatis ac authoritatis socium consortemq; adjungi, lubens admitteret? Quis non eundem solio deturbaret potius, & ad extrema supplicia condemnaret? Enim verò non quadrant, aut prosunt in uno orbe bini soles, nec in uno solio totidem Reges: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. Idem Romanus sibi Præsul dictum putat, & factum cupit. Non fungum habet in capite pro cerebro, ut, quid inde sibi sit eventurum mali, non sentiat: nec caput habet

habet cucurbitæ, ut de ejus discrimine non laboret. Animadvertit scilicet pro insigni suâ prudentia & sollicitudine, quâ pro sanctissimo PETRI solio laborat non posse Primatus sui Monarchici in Ecclesiâ dignitatem se tueri, si PETRO Antecessori suo Paulus adjungatur, iisdemque privilegiis exornatus introducatur. Solio igitur Paulum deturbat, ut suum sibi soli stabiliat, & capite mavult illum diminui, quam novum sibi adjungi. Idem cum eo gnaviter laborant sedis Romanæ Patroni & assertores varii. RODERICUS de Arriaga, Cancellarius Academiæ Pragensis, ne visis quidem Parisiensium Doctorum pro Pauli primatu, ceu fatetur ipse, rationibus, damnat tamen eorundem sententiam, multisq; refutat tom. 5. disp. Theol. in 2. secundæ Thomæ. Idem fecit THEOPHILUS RAYNAUDUS, (Vir præstanti ingenio, acri judicio, promptâ facundiâ, & omni scientiarum genere Excellens; Andreas Sausinius c. 20. Apparatus ad Martyrolog. Gallicanum eum vocat præstantissimum Theologum, nitore eloquii & consummatæ eruditionis copiâ plenũ. Ita de eo Philippus Alegambe Bruxellensis in Biblioth. scriptorũ soc. Jesu) disputatione peculiari, quã Anonymi Parisiensis scripto, de Ecclesia (quam ille vocat) BICIPITI opposuit. Quid alii aliàs fecerint hactenus ignoramus. Nobis solo τῷ πάντα sufficiet THEOPHILUS RAYNAUDUS cum Antagonista SORBONISTA ANONYMO, & adulteriorem MONSTRI hujus indaginem, & elisionem ansam & occasionem satis opportunam subministrabit. Hujus igitur disputationem excuticemus, & κατὰ πόδα persequemur, ac quam ille feliciter, aut infeliciter MONSTRI TRICIPITIS alterum CAPUT resecuerit disquiremus: Post BICEPS quod ipse fabricat MONSTRUM abolebimus, suamque ΕΧΑΡΧΩ nostro, CAPITI unico ECCLESIÆ suæ, CHRISTO JESU gloriam; Ecclesiæ verò concinnitatem ac pulchritudinem postliminiò reddemus & vindicabimus

ΣῪΝ ΘΕΟΥ̃ ΠΑΛΆΜΑ.

Ita

ביהוה

§. 1.

ITa est omninò RAYNAUDE, quemadmodum exordiris: *Multa in orbe passim sunt monstra*; haud importunè tibi, nec absre dixit *Hieronymus. Centauros & Silenas, Ululas & Onocrotalos*, ait ille, *in Esaia legimus. Jobus Leviathan & Behemoth mystico sermone describit: Cerberum* & *Stymphalidas*, pergit idem, *Aprumq; Erimanthium* & *Leonem Nemæum*, *Chymæram* atq; *Hydram multorum capitum narravit fabula Poëtarum. Cacum describit Virgilius*; *Triformem Geryonem Hispaniæ prodiderunt.* Hæc rectè *Hieronymus.* Nec tu malè indidem opellæ tuæ, fateor, sumis initium, unde disputationis ille suæ exordium contra *Vigilantium.* Scilicet *monstrosa*, quæ in hac tuâ dissertatione *demonstras* & proponis, tantum non sunt omnia. *Monstra* stupenda subinde narras: *Monstrum Triceps* Antagonistæ tui *monstrosè* retundis; *Monstra monstris* cumulas, dum *Triceps* illud abolere studens aliud ipse *Biceps* ejusdem propè turpitudinis *monstrum* fabricas: Quid mirum igitur, à *monstris* temet auspicari, cum in *monstris* totus occuperis, & in iisdē *monstrosè* tādem desinas?

§. 2. Magnam *monstrorum* copiam in pulcherrimâ hujus universi fabricâ reperiri libenter tibi largimur, *Raynaude*; Nimirum patitur identidem Natura sua deliquia & enormes facit παρεκβάσεις. Non assequitur perpetuò finem suum sub esse perfecto, sed deficit quandoq;, & imperfectos producit effectus. Hinc illa *Græcorũ* τέρατα, σημεῖα, φάσματα, γοσερὰ, πέλωρα, ἀλλόμορφα; Hinc isti *Latinorum monstrosi* fœtus, *mi-*

rifica

rifica corpora, monstrosa germina, ostenta, portenta, prodigia, quorum hic catalogum texere nostri non est instituti. Magnam porrò in hisce *monstris* existere deformitatem ex consideratione uniuscujusq; abundè liquet: Nec potest profectò aliter: *Monstrum* enim sine deformitate novum foret *monstrũ*, merumq; σοφόξυλον. Et ob hanc deformitatem fieri plerumq; solet, ut ad conspectum *monstri* turbemur, nec rarò exhorrescamus, vicesque deficientis aberrantisque naturæ condoleamus. Certè non facilè quisquam frontem exporriget, qui apertis nimium multumq; hiantibus labris infantem viderit. Nec parùm commovebitur, qui alium in medio frontis oculos, in lateribus nares, & aures in occipite gestantem offenderit. Ad stuporem, inq; fugam planè dabitur, qui vulpinâ aut caninâ hominem facie viderit, aut in bicipitem tricipitemve fortuitò inciderit. Horrenda sunt hæc omnia, enormiq; suâ deformitate mentes oculosq; spectantium turbant & avertunt.

§. 3. Quanta verò cunque *monstrorum* ubique fuerit, quà multitudo, quà deformitas, neutra tamen infrunitæ hominum petulantiæ sufficere potuit: Plura semper sibi quæsivit ac formavit cæca quorundam audacia. Tantâ certè sollicitudine ac contentione circa fœdos *monstrorum* abortus laborarunt plurimi, ut insigne quoddam pulchritudinis hujus Universi augmentum parturire viderentur, antequam turpis ille fœtus excluderetur, inq; lucem tandem prodiret. Quis quæso nescit illud humanæ machinationis turpe furtum & adulterium in *Muli* productione? Enimverò non sufficiebant *monstroso Hanæ* Asini quos in deserto pascebat, nec Equi, eorundemque naturalis conjunctio ac propagatio: Nimirum turpe sibi duxit turpissimum illud humani generis *monstrum* ac propudium, si inter bruta legitima fieret copulatio, cum ipse ex illicitâ & incestuosâ (fratris enim sui

filius

filius fuisse creditur juxta *Polyc. Lyseri* mentem super cap. 36. Gen.) prodiisset: Equum igitur Asinæ miscuit, ut nec Equus, nec asinus, sed tertium aliquod, neutri simile, utriq; tamen aliquâ sui parte non dissimile, *monstrosus* scilicet, Deoq; pariter & naturæ abominabilis *Mulus* produceretur, ceu patet ex *Gen. 36, 24. Sic audax omnia tam perpeti quam perpetrare gens humana ruit per vetitum nefas, ipsumq; cœlum stultitiâ suâ petit!* Sic nova semper *monstra*, quæ naturâ aversatur, humana sibi fingit industria!

§. 4. Inter omnia verò, quotquot uspiam producuntur *monstra*, nulla deprehendo pejora ac turpiora, quam quæ ex *monstrifico* humani cerebri abortu prodeunt. Si enim unquam natura fædè aberrat ac deficit, mens sanè humana longè & crebriùs & turpiùs: Testantur id abundè non gentiliũ modò sed & Christianorum circa *sacra* pariter & *profana* errores & deliria, quæ singula recensere nimis foret prolixum. Et *gentilium* quidem quæ circa *sacra* fabricarunt sibi *monstra*, quamvis turpiora sint, quam ut excusari mereantur, ferenda tamen, puto, sunt æquiùs, eò quod ex ignoratione divinæ revelationis ad ista fuerint dilapsi: Quis enim cæco vitio tantoperè verteret, aut graviùs indignaretur, si in ducendâ lineâ deflecteret, inq; dignoscendis coloribus aberraret? aut luxato laboranti brachio, si in decenti digitorum motu & usu peccaret ac deficeret? Commiseratione isti potius, quàm severiori objurgatione ac odio digni forent: At verò inter *Christianos*, quibus tam evidenter mentem suam revelavit Dominus, tam fæda de Deo divinisque rebus opinionum *monstra* procudi, id certè nimis est indignum & omnibus diris devovendum.

§ 5. *Non immeritò* ob hanc turpitudinem lamentaris *RAYNAUDE*, nec propudiosa isthæc *monstra* cum autoribus suis injuriâ perstringis ac castigas: Delinquis tamen in hoc ma-

ximoperè, quod, *in aliorum vitiis cum tam cernas acutùm, quam aut Aquila aut serpens Epidaurius, tua tamen oculis videas mala lippus inunctis*, ac prorsus non animadvertere ferme videaris. Nimirum gnaviter collegisti varia diversarum nationum *monstra*. *Ex Galliâ* Berengarios, Roscelinos, Abaylardos, Almaricos, Valdesios, Calvinum, Bezam, Quintinum, Coppinum, Farellum, Richerium, Peroldum, Chamierum, Spinæum, Molineum. *Ex Ægypto* Arios, Dioscoros, Vadios. *Ex Græcia*, Nestorium, Eutychem. *Apollinaremq;* Hos *monstra*, hos Diabolicæ formationis *ostenta* promiscue nuncupas. In censum porrò recentiorum *Galliæ* monstrorum refers illam *Anonymi* cujusdam *Ecclesiam Bicipitem*, quam satis asperè exagitas & ad similitudinem *Iani* illius *Latiaris*, *Ianum Renatum* lepidè fateor, argutèq;, appellas. Jurenè id abs te fiat, an injuriâ? jam non laboro: Hoc saltem est quod nunc accuso, te scilicet tibimet ipsi, tuæq; *Italiæ* nimis esse facilem ac propitium: Quid enim tu quæso, aut *Italia* tua? *Raynaude:* Nullane habes vitia? Nullane prorsus fovetis *monstra?* Quæso *te ipsum concute & nunquà tibi fortè monstrorum inseverit conspetudo mala* dispice mecum. Fac sodes periculum, nec asper esto bono monitori: Proh quanta in temetipso deprehendes *tubera!* cum in aliis modò *verrucas*: Quantam in oculo tuo *trabem!* cum in aliis levem duntaxat *festucam*.

§. 6. Reflecte modò hùc pauliſper istum, & sat, scio, evidenter animadvertes nullam abs me tibi fieri injuriam. Solos tibi ἐν παρόντι propono ac *perlustrandos propino* Romanos Pontifices; Percurre saltem obiter & ὡς ἐν παρόδῳ istorum seriem in *Platina*, aut, si hunc fortasis repudias, quovis alio; Tot, crede mihi, inter hos sanctissimos Patres deprehendes *monstra*, ut seriem istam non possis quin sincerè ac seriò damnes ac detesteris; De *Sylvestro* 2. nosti quid referat *Platina* in ipsius

in ipsius vitâ; Malis, *inquit*, artibus *Sylvester* hic 2. *Gilbertus* anteà vocatus, adjuvante Diabolo Pontificatum assecutus est, hac tamen lege, ut post mortem totus illius esset, cujus fraudibus tantam dignitatem adeptus erat. De eodem memorat *Arnoldus Albertinus, de agnosc. assert. Cathol. & hæret. q. 9. n. 12.* quod Diabolo fecerit homagium; Consentit *Antonius Florentinus* part. 3. summ. tit. 22. cap. 7. En tibi *Monstrum* prorsus horrendum *Italiæ* tuæ, ejusdemq; sedis sanctissimæ! Vin' plura hujuscemodi? sisto tibi *Gregorium* statim VII. *Hildebrandum* antè dictum: Evolve, si lubet *Raynaude, Abbatem Urspergensem* in Chronic: *Anno* 1080. & tantum non obstupesces; Ita enim de isto *Abbas* hic; Episcopi in Concilio congregati *Brixiæ, Gregorium* VII. ut divinationum & somniorum cultorem, *Necromanticum* & spiritu Pythonico præditum damnarunt: De eodem *Benno* memorat, quod Satanæ se manciparit totum, juxtaq; cum eo *Sylvester 2. Benedictus 9. Johannes 20. & 21.* In vitâ rebusq; gestis *Gregorii* hujus; *Papæ!* quot hìc *monstra!* Certè quot *verba*, quot *Papæ*, eaque in ipso *Italiæ* tuæ formosissimæ scilicet! sinu, dicam an? corde. Addam hujus farinæ alia ut de *monstris* ejusdem plenius edocearis. De *Johanne* XII. refertur apud *Baronium Anno* 955. num. 2. 3. 4. *Anno* 963. num. 13. 17. 28. *Anno* 964. num. 1. 2. 3. quod non *solum Diaconos in Equorum stabulo ordinarit, Episcopos pretio creaverit, & eos quidem interdum* 10. *annorum, sed & sacrilegia, incestus, stupra & adulteria plurima impunè commiserit, Confessarium suum oculis & vitâ privarit, Cardinales virilibus amputatis, occiderit, loricâ & galeâ indutus incesserit, seditiones & arma adversus Imperatorem Ottonem commoverit, alios manu, linguâ, digitis manibusq; mutilarit, Romanumq; sanguinem copiosè effundendi autor fuerit, quinimò in Diaboli amorem* (horresco referens) *vinum biberit, in ludo aleæ Jovis Veneriscq;, caterorumq; Dæmonum auxiliũ popposcerit, aliisq;*

sceleribus & flagitiis infamis fuerit; Idem *Cardinalis* de *Bonifacio* tradit quod fuerit *sceleratus, sacrilegus, truculentus prædo, duorum Pontificum crudelissimus successor, & interfector, qui nec pilum quidem Pontificis habuisse dicēdus sit,* sive *spectes ingressum,* sive *progressum, annumerandum potius inter famosos latrones, & potentissimos grassatores, atq; patriæ proditores, Catilinas, Syllas, horumq; similes,* quos omnes superavit *sacrilegus iste;* sed de hoc satis prolixè *Baronius* passim, ut non opus sit testes alios producere de hoc bipedum *monstrosissimo.* Accedo ad *Leonem* Mediceum istum, qui primus Pontificatus dignitatem in familiam suam intulit; De hoc *Franciscus Guicciardinus.* Patrit. Florentinus hist. S. T. l. 16. p. 585. edit. Basil. ita scribit; Fuit eximiæ liberalitatis homo, si tn. hoc nomen ei *profusioni,* quæ omnem excedit modum, convenire potest. In hoc Pontificatum adepto tanta magnificentia, splendor & animus verè Regius eluxit, ut vel in quopiam, qui longâ serie à Regibus & Cæsaribus genus duceret, mirum videri potuerit: Nec pecuniæ solum prodigus, verum & omnium eorum munerum, quæ in Pontificis potestate sunt, quæ tam immodicè conferebat, ut sacrosanctam autoritatem contemptibilem faceret &c. Huic tantæ facilitati adjuncta erat summa *simulatio,* quâ initio Pontificatus sui omnes circumagebat: Non de Apostolicâ bonitate dico; quoniam in nostris depravatis moribus tunc in Pontifice Bonitas laudatur, cum cœterorum hominum nequitiam non excedit &c. Quid ad hæc *Raynaude?* satin' multa in uno *Capite* Vitiorum *Monstra?* satin ferax *Monstrorum* Italia tua? Longè profectò & plura & turpiora afferrem inmedium si non bonis, horis parcendum existimarem, aut si de consensu tuo vel tantillum dubitarem; Illud sine negotio abs me fieri posse, non negabis, si, quæ de *Sergii* tertii, *Innocentij 8. Sixti 4. Alexandri 6.* aliorumq; *scortationibus, adulteriis*

adulteriis, inceſtibus, Sodomiis prodidiſſe *Poëtas* pariter ac *Hiſtoricos* quam plurimos noſti, in memoriam tibi revocaveris, Trita ſunt illa, *Accii Sannazarii*; *Marulli*, *Weſſeli*.

Octo, Nocens *pueros genuit totidemq; puellas*
(cum diverſis ſcilicet mulieribus;)
Hunc merito poterit dicere Roma PATREM, Item
Sixte *jaces tandem, deflent tua buſta Cynædi*
Scortaq;, lenones, alea vina, Venus.

Nec minus illud de *Alexandro* VI.

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, ſed re
Thais Alexandri *filia, Sponſa, nurus.*

Et hæc vera eſſe, quæ de Pontificũ quorũdã flagitiis ac vitiis traduntur, admittunt juxta priores ex complicibus tuis non poſtremi, nec pauci; Nos agnoſcimus & fatemur, vitia Pontificum fuiſſe non pauca, ait *Bellarminus* veſter *in Præfat. libr. de Rom: Pontifice*, τὰ σκληρὰ μαλθακῶς proferens; *Stapletonus* mollitiem hanc ſeponit, & *maſculè*; Enormia, *inquit, & horrenda* Rom. Pontificum peccata atq; flagitia fuerunt; Imò vix ullum peccatum ſolâ hæreſi exceptâ, cogitari poteſt, quo illa ſedes turpiter maculata non fuerit, maximè ab Anno DCCC. & infrà; *in relect. princip. fidei, controv. 1. q. 5. art. 3.* Nec mitius *Gilb. Genebrardus* Pontificibus aliàs addictiſſimus; Per annos ferè CL. *ait ille*, Pontifices circiter 50. à *Johanne* ſc. VIII. qui *Nicolao* I. & *Hadriano* II. Sanctis Pontificibus ſucceſſit, ad *Leonem* X. usque à virtute majorum prorſus defecerunt, APOTACTICI APOSTATICIVE potius, quam APOSTOLICI; *Baronius* inter haſce cogitationes alta ducit ſuſpiria ad *Ann.* 900. n 1. Quot proh pudor! proh dolor! *inquit*, in eandem ſedem Angelis Reverendam, viſu horrenda intruſa ſunt MONSTRA? Quibus tunc ipſam contigit aſpergi ſordibus, pudoribus infici, inquinari ſpurcitiis, ex hisq; perpetuâ infamiâ denigrari?

Hæc

Hæccum dubiò procul admittas *Raynaude*, quorsum, quæsò in colligendis Pontificum vestrorum *monstruosissimis* flagitiis occuparer prolixius? Habeote tuosq; confitentes mihi reos non sine singulari voluptatis sensu, quamvis ipsa, quæ produxi, vitia execrer & deplorem vobiscum; Laudarem maximoperè candorem tuum, si in recensendis percurrendisq; *Galliæ*, *Ægypti*, *Græciæq; monstris* ad *Italiam* tuam divertisses & *Berengariis*, *Roscelinis*, *Abaylardis*, *Ariis*, *Apollinaribus*, *Sixtos*, *Bonifacios*, *Johannes*, *Alexandros* hujus ultrò addidisses; Hoc autem, cum neglexeris, abs me, quâ fieri potuit, fidelitate præstitum, nisi planè iniquus esse voles, non feres, opinor, indignè;

§. 7. Sed quid *Sixtis*, *Bonifaciis*, *Johannis*, *Alexandris*, *Italiæ* meæ cum *Arriis*, *Berengariis*, *Abaylardis*? *Monstra doctrinarum* hìc recenseo, *inquies*, non *personarum*; Ubi vero isthæc in *Alexandris*, *Bonifaciis*, *Sixtis* (sint tales) sceleſtissimis cætera Pontificibus? Ubi in aliis quibuscunq; *Italiæ meæ* membris? Bona verba quæsò, *Raynaude*; Jam, jam & hæc tibi monstrabo *monstra*; Si quidquam aliud, est profectò *Horrendum*, informe, ingens *vastumq; monstrum* quod in tuo delitescit cerebro, quod tecum *Italia* tua, & tota vobiscum suspicit ac veneratur *Ecclesia* vestra *Catholica*. Est illud, ne mireris, ipsa vestra *Ecclesia*, *Jano* illi *Latiari* haud magis dissimile *monstrum*, quam ovum ovo, quin isto longè meherclè *monstrosius*. Non video, quî id declinare possis, *Raynaude*, nisi altero illam *capite* truncare velis? *Bina* enim *Ecclesiæ* vestræ assignatis vulgò *capita*; *unum invisibile* Christum, *alterum visibile* Petrum, ejusdemq; successores Romanos *Pontifices*: Quod nisi *monstrosum* esse concesseris, omnem hoc ipso *monstrorum* naturam ibis everſum atq; inficias. Non est igitur, quod *Lucifugæ*, quem appellas, tuo de *Tricipiti* Ecclesia tantoperè succenseas: Tute ipse aliud *Biceps monstrum* foves

ac tue-

ac tueris ejusdem fermè deformitatis. Ipse reus es criminis, quod accusas, ipsa te redarguit culpa quam arguis, magno tui dedecore: *Sed nihil* fortè in *Bicipiti* tuâ Ecclesiâ deprehendis *monstri*, *Raynaude!* Humanum id est fateor, nec insolens inter ipsos etiam magnæ viros prudentiæ & æstimationis: Solemus ut plurimum ad nostra vitia cœcutire ac connivere, in aliorum verò errores quovis *Lynceo* oculatiores esse: Tangam igitur ulcus tuum levi, quantum potero, brachio, & indice tibi digito *monstrosam* tuam, quam de Ecclesia foves, sentētiam esse *demonstrabo*, saltem ut non ignores, aut hanc tibi deserendam, aut *Tricipiti* Antagonistæ tui *monstro* retundendo te prorsus esse imparem, â nobis verò tuum *Biceps* pariter & *Triceps* illius, feliciter utroq; truncari posse *capite*, suamq; Ecclesiæ concinnitatem in *Unius capitis assertione* asseri ac stabiliri: Quod ut dextrè fiat, *propitium* mihi precor *Numen*, & tua legens vestigia, adorno tecum

PUNCTUM I.

DE

Corpore Christi mystico, ejusdemq; eleganti concinnitate.

§. 1.

Ecclesia est corpus Christi

Ecclesiam illam τῶν ἁγίων κοινωνίαν, seu קהל חסידים corpus esse ac dici Salvatoris nostri si prolixè probarem, vagarer tecum extra oleas, *Raynaude*, & soli lucem ineptè fœnerarer. Est hoc in confesso apud omnes eò, quod à Spiritu S. identidem inculcatum ac confirmatum luculentissimè. Omnium elegātissimè id persequitur & diducit *Sanctus Paulus* c. 4. Epistolæ ad Ephesios v. 15. seqq. *Crescamus*, inquit, *in ipsum, qui est Caput Christus*, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον, καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας, κατ' ἐνέργειαν ἐν

μέτρῳ

Locus Eph. 4. 15. seqq. μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖται, εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ ἐν ἀγάπῃ.

§. 2. Egregia est hæc, & suavissima *mystici* corporis Christi cum *humano* comparatio, quam si enucleaverimus, haud obscurum nostræ materiæ lumen accendemus: In corpore *humano* diversas vides esse partes, *Raynaude*, & membra varia. Habes isthic primùm caput, post collum, tum pectus & ventrem. Habes manus, pedes, brachia & similia, quæ ut distinctam habent figuram, ita munia, quoq; & officia obeunt distincta: Hæc omnia in *mystico* Christi corpore, quod est Ecclesia, reperiri pulchrè demonstrat *Apostolus*, nec reperiri saltem dicit, sed eundem etiam in modum fermè. Proponit scilicet Ecclesiam in terris, ut corpus aliquod nondum maturum quidem, aut omni sua parte perfectum, tale tamen quod ad ἀκμὴν sui roboris ac perfectionis magis magisque contendit & assurgit. *Membra* hujus corporis vera sunt *fideles* per verbum & sacramenta regeniti, & Christi, sanctiq; ejus Spiritus participes facti: *Caput* ejusdem est Christus ἀνθρωπος Salvator noster: Videsis porrò elegantissimam applicationem; scilicet præ cœteris membris nobilitate & dignitate eminet *Caput*, quod tanquam arx corpori impositum meritò supremũ corporis locum tuetur. Est illud enim cerebri, sensuum pariter & rationis sedes ac domicilium: scaturit ex eo ac promanat in universum corpus vita, sensus, motus & omnia; prodeunt ex eo nervi innumerabiles per universum corpus se effundentes, qui, ceu vincla ac ligamenta, membra inter se devinciunt, & sensus omnes, motusque per communicationem Spiritus animalis in cerebro nati, ad omnes corporis partes devolvunt. Hæc omnia *cœtus* etiam *fidelium*, qui *corpus*, à *Christo capite* suo indipiscitur. Est scilicet in *Christo* tanquam *capite* insignis thesaurus reconditus: θησαυρὸς, inquam, ille τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως, καὶ

πᾶν τὸ

πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος Col. 2, 3. 9. Hunc thesaurum, has divitias, quæ ἄνευ μέτρου sunt in ipso, ille κατὰ μέτρον dividit & confert unicuiq; membrorum suorum, quod per verbum & Sacramenta, tanquam Spirituales ἁφὰς & ὀχήματα, Spiritum fidei 2. Cor. 4, 13. & charitatis Rom. 5, 5. accepit. Hinc porrò illa *membrorum* non *inter se* modò, sed cum *capite* etiam suo promanat *unio:* Quamvis enim membra mystici hujus corporis loco vel numero divisa sint, tamen quia per verbum & sacramenta tanquam σωδέσμους Col. 2, 19. sunt copulata & συναρμολογούμενα καὶ συμβιβαζόμενα, idcircò mediāte istā cōjunctione non solùm cum *capite*, Christo, sed *& inter se* verè unum sunt, ac proinde sicut *naturalia* humani corporis *membra*, quamdiu immaturum, & imperfectum est corpus, augmentum & emolumentum ejus naturali quodam instinctu sollicitè quærunt, donec justam sibique debitam perfectionem nanciscatur, sic *mystici* quoq; corporis *membra*, ad conservandam & perficiendam istam nobilem unionem, specialia illa gratiæ & Spiritus dona, quæ *membro* cuivis pro arbitrio ac sapientia suâ Christus, *caput* hujus corporis est largitus, ad ædificationem hujus corporis sedulò conferre & subministrare dicit *Apostolus:* Et hæc subministratio s. ἐπιχορηγία per inexplicabiles illas ἁφὰς seu nexus, qui à *capite* Christo, motu & operatione *Spiritus S.* quotidie in membra derivantur, & corpus illud construunt ac coagmentant, eo usq; continuabitur, donec universum illud corpus, quod adhuc quotidiè τῷ ἄυξησιν ποιεῖται, ad justam atq; debitam suam perfectionem deducatur; quod tum demum ex omni suâ parte fiet, cum solutâ hac mundi compage σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν transformabitur à *capite*, ut fiat σύμμορφον σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, atq; ita ἡλικίαν i.e. πλήρωμα τῆς ἡλικίας, plenitudinem perfectæ staturæ ad instar personalis Christi corporis assequatur. Hæc elegans illa Pauli Metaphora: Hæc amœnissima,

mystici Christi *corporis* cum *humano* comparatio. Et hinc sat, opinor, liquidò constat, cur Ecclesia Christi corpus appelletur, ita ut plura hanc in rem adferre non sit necessum. Per me igitur hoc licet *Raynaude*: Esto, inquam, ratum, Ecclesiam universam, &, qui eam constituunt, fideles, dum volvuntur secula, continuò Christo accrescere, & in unum morale ac mysticum Christi corpus compingi: Habes per omnia me tibi consentientem hactenus.

§. 3. In hoc tamen tibi non assentior, quod in hac collatione corporis Christi *mystici*, ad *morale*, nescio quod, corpus dilabaris (§. potissimum 13. puncti 1.) Per morale illud, nisi me fallunt omnia, intelligis *Rempublicam* seu πολιτειαν quamcunq; civilem, illam τάξιν τῆς πόλεως τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων τὸ συμφέρον τ@ ἕνεκα Aristot. 3. Pol. c. 6. Civili huic assimilas & confers illud *mysticum* Christi corpus, si non citrà *sanam*, citrà tamen *sanctam* scripturæ mentem. Hæc enim quoties Ecclesiam comparat corpori, *non quodlibet* intelligit promiscuè, sed *humanum*, ac proinde non potest sine summâ ἀβελτηρία in illustranda explicandave comparatione hac, à naturâ corporis humani discedi; Mirarer ergò, quo consilio inde discederes, nisi tua, quæ mox sequuntur, illud proderent. Liquet inde, quod id nullâ aliâ de causa facias, quam ut *Monarchicam* etiam formam, eandemq; undiquaq; *visibilem* corpori *mystico* Christi s. *Ecclesiæ*, omnium optimè convenire obtineas, cum in civili istam reliquas antecellere apud omnes in confesso esse opineris, Atq; hìc non possum, quin paucis te morer.

Morale Politicum corpo huc non spectat.

§. 4. Initiò quidem citra omnem controversiam *optimã regiminis formam* esse censes *Monarchiam*: Ego sane, uti *Monarchiæ* nil derogatũ volo, ita de consensu tamen omnium, quem gloriaris, circa ejus præstantiam haud injuriâ dubito. Non equidem ignoro plerosque *Politicorum* primas

Monar-

Monarchiæ tribuere. Facit id cumprimis *Aristot.* qui id adeò certum putavit, ut 12. *Metaph. t. ult.* inde argumentatus fuerit ad unitatem Dei: *In Deo*, ait, *ponendum quod optimum* lib. 8. Phys. t. 48. Consentiunt *Herodotus* in Orat. Dar. *Max. Tyr.* or. 3. *Beroaldus* de Opt. Reip. statu. *Stobæus* serm. Quod opt. sit Monarchia. *Petrus Gregorius Tholosanus* lib. 5. de Rep. c. 3. *Thomas Morus* lib. 1. de Rep. c. 2. *Bodinus* l. 6. de Rep. c. 4. *Simancha* lib. 3. de Rep. c. 2. *Althusius* cap. 32. Polit. *Junius* lib. 1. Polit. quæst: quæst. 4. *Patritius* lib. 1. de regno tit. 3. qui rectius de hac controversia judicant, quam *Bellarminus*, *Coccio*, *Sanderus*, *Johannes 13. in Bullis* & alii tuorum complicum, cum hi omnes alterum oculum ad Ecclesiasticæ Reip. suæ commodum intendant. Sed & hoc haud ignoro, apud hosce, & Politicos quosvis alios nondum esse transactum, *Monarchiam simpliciter* & absolutè præstare formis reliquis. *Quidam* existimant de formis Rerump. earundemq; præstantia non esse in *Comparativo* sed in *Positivo* loquendum, cum uterque Regiminis modus tam *Aristocraticus* quam *Monarchicus* sit bonus, & eligibilis, uterq; Dei ordinatio, uterq; paria afferat commoda: quos inter *Banosius de Polit. Civ. Dei c. 14.* *Quidam Aristocraticam* præferunt formam, quam ita dictum volunt, quod non solum sit ἀρίστων, sed etiam ἀρχὴ ἄριστη. *Alii Monarchiam Aristocratia temperatam* præferunt; quin imò, qui in liberis Rebuspublicis hodiè vivunt, vitam potius, quam libertatem istam amitterent, tantum abest ut unius dominatum præferant. Commendat quisq; Reip. suæ ordinem & formam. *Venetus* Aristocratiæ laudes prædicat: *Helvetius* populi sui Majestatem extollit; omnium regnorum subditi suam jactant *Monarchiam*. Ipsi porrò *Monarchiæ Patroni* certa hic fingũt limitationes *Thom.* p. 2. quæst. 105. art. 1. *Regnum*, inquit, *est optimum Regimen populi, si non corrumpatur, sed propter magnam potestatem quæ Regi conceditur,*

de facili Regimen degenerat in Tyrannidem, nisi sit perfecta ejus virtus, cui talis potestas conceditur; perfecta autem virtus in paucis invenitur. Præcipuè verò Judæi crudeles erant & ad avaritiam proni, per quæ vitia maximè in Tyrannidem decidunt, ideo Dominus à principio eis Regem non dedit cum plena potestate &c. Quin ipse tuus *Bellarm* l. 1. de Pont. Rom. c. 3. mixtam & ex Aristocratiâ temperatam Monarchiæ præfert, si circumstantiæ & ratio hujus vitæ consideretur. Et hinc est, quod alii distinguunt inter præstantiam Regiminum consideratarum *in Thesi* & *in hypothesi*, respectu hujus vel illius Reip. seu inter ἁπλῶς ἀγαθὸν & πνὶ; item inter Monarchiam *in abstracto* ratione Essentiæ & *in concreto* ratione existentiæ.

§. 5. Vides igitur, *Raynaude*, Monarchiæ præstantiam saltem non extra omnem esse controversiam, quod audacter asserebas: Esto tamen ita; sit, inquam, Monarchia reliquis Rerump. formis potior: sit οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω in *civili* quocunq; *corpore*. Quid verò hoc ad corpus *mysticum* Christi? Μετάβασιν hîc committis εἰς ἄλλο γένος, dum ex principiis Politicis de optimo Ecclesiæ regimine judicas: Scripturæ hîc erant afferendæ: Ex οἰκείῳ, inquam πρώτῳ, ἀναπεύθύνῳ, ἀναλήρήτῳ, αὐτοπίστῳ nostro principio, quod est *Verbum Dei*, demonstrandum erat & judicandum de hac *summa* rei Christianæ (ut *Bellarmino* in præfat. lib. de Pontifice dicitur) *Monarchia scilicet visibili Ecclesiasticâ*, quam procul omni dubio hîc stabilire intendis. Esto tamen & hoc *Raynaude*; plura tibi concedam; ipsum nempe *Regimen Ecclesiæ* corporis Christi mystici, *Monarchicum* esse debere: Quid verò inde tibi salutis? Ergone *caput* hujus corporis, *Regem* hujus Regni *Pontificem* esse concludes? Quâ id poteris fronte? Quo jure? Intende omnes ingenii tui nervos, & Logicum, si quod habes, artificium omne hic impende, ut illud evictum des: Certus sum nihil hic te profecturum magis

quam

quam qui in Æthiope lavando occupantur. Id quidem obtinebis, aliquem Ecclesiæ præesse Regem ac Monarcham debere; Nec in hoc tibi refragamur, utpote qui ὁμοθυμαδὸν illud Regimen *Uni* nostro Principi ac *Capiti* Christo deferimus, eumq; *Monarcham* corporis sui mystici agnoscimus & veneramur: Quod si in hoc noster es, erimus tibi faciles in cæteris: Ut clarius mentem tibi nostram explicem, *Raynaude*, dicimus & fatemur haud inviti, *Monarchiam* ἀπλῶς *consideratam omnibus reliquis Rerump. formis absq; omni controversiâ præferendam esse, quando qui præest, alterius est & præstantioris naturæ cæteris quibus præest*; sic optimè Deus mundum regit, sed is nullo modo pars est mundi, sed naturâ suâ longè differt ab omnibus rebus quas regit; sic optimè ovibus præest pastor: sed & hic alterius est naturæ: Homo est, non ovis: Rationale, non brutum animal. Habebimus itaque optimum in Ecclesiâ Regimen: habebimus *Monarchiam*, eandemq; ἐξοχικῶς, si *solum Christum* pro *Capite* agnoverimus. *Corpus* est Ecclesia, *cœtus* ille *fidelium*: *Caput*, Rex & Monarcha *Christus*: Quò hic sublimior, eò forma Regiminis est excellentior: Dispar huic immane quantũ, quẽ vos corporis Christi mystici *Caput* esse & *Monarcham* visibilẽ cõtenditis *Episcopo Romano*; non est ille præstantioris naturæ præfidelibus. Homo est, humani ab illo alienũ est nihil: Quid ex hoc dignitatis aut emolumenti ad Ecclesiam? At verò Christus θεάνθρωπος est, nec hominibus modo, sed & τῶν ἀγγέλων tantò factus sublimior, ὅσῳ διαφορώτερον παρ' αὐτὸς κεκληρονόμηκεν ὄνομα *Heb.* 1, 4. Sit igitur ille, maneatq; solus corporis sui mystici *Caput* & *Monarcha*: Sic Monarcham habebimus quo non sublimior alter: Sic optimo Ecclesia gaudebit regimine, sic nihil ejus *mystico* Christi *corpori* deerit, quod *morale* quodcunq; exornat, transq; cætera sui generis ponit. Hæc de convenientissimo corporis Christi mystici regimine,

ejus-

ejusdemque cum morali Politico, quam institutis, comparatione ἐκ παραδόσεως.

Est corpus elegans & concinnum.

§. 6. Pergis ab hac ad *elegantiam* & *pulchritudinem* Mystici hujus Christi corporis, eandemq; ex corpore morali Politico & Naturali, seu personali ipsius Christi deducis, & omnem ab eodem deformitatem *monstrositatemq;* excludis & sequestras. Rectè isthæc & ad nostrum apprimè palatum! Tantum enim abest, ut pulchritudini mystici hujus corporis quidquam velimus detractum, ut eandem sartam tectam potius tueri, & ab omni prorsus injuriâ immunem conservare modis omnibus allaboremus: Scimus pulcherimi *Capitis* id esse *corpus*, & *Sponsam* illius *Sponsi*, cui apprimè quadrat illud Ps. 45, יפיפית מבני אדם. Et idcirco cum omnis eum deformitas dedeceat, non posse Sponsam & corpus ejus non esse pulchrum ac formosum libenter admittimus, quin *totam*, *totam* illam pulchram & sine maculâ uno omnes ore proclamamus. Sed quænam illa pulchritudo? aut in quo consistit? Procul dubio in sanctitate illâ & laudabili cum capite suo sacrosancto conformitate, quâ splendet intrinsecus, sanctissimiq; Numinis sibi conciliat favorem & gratiam: Et hancce suam sanctitatem non habet ex semetipsâ, aut ex naturâ ac conditione suâ: Minimè verò omniũ: Habet eandem à *Capite* suo Christo JEsu: Hic omnem ei abstergit labem ac deformitatem: Hic sua eam sanctitate induit & exornat *Joh. 17, 19* Hic sanctâ eam vocatione vocat, & ab immundo secernit mundo *2. Tim. 1, 9.* Hic Spiritu suo sancto eam sanctificat, sanctitatem suam per fidem illi applicat, interiorem sanctitatem in eâ operatur, perfectæq; sanctitatis desiderium accendit in hocce suo corpore, conservatque. Hæc sancta illa corporis Christi pulchritudo: Hæc pulchra ejus sanctitas quæ cum in hâc vita sit ἐκ μέρους saltem & inchoata, in alterâ tamen consummabitur, & eò proce-

procedet sanctitatis, ut futura sit planè ἔνδοξον, μὴ ἔχουσα ῥυτίδα, ἢ ῥυπόδα, ἢ τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἁγία καὶ ἄμωμον juxta Paulum *Ephes. 5, 27.*

§. 7. Tanta igitur cum mystico Christi corpori pulchritudo assignetur passim à Spiritu S. sponte suâ sequitur, *impios* quoscunq; & *flagitiosos* impurosq; corporis ejusdem *vera* ac viva *membra* neutiquam esse, & ne quidem dici sic posse. Videris id ipsum *quadantenus* agnoscere nobiscum *Raynaude*; nec potes profectò aliter, nisi concinnitatem illam ac formositatem mystici Christi corporis quam *unâ* suffulcis ac sustentas *manu*, *altera* convellere velis ac demoliri: Scilicet non una est eademq; ratio *statuæ* illius *Babylonicæ & corporis* hujus mystici. Illius *caput* erat aureum quidem & insignis elegantiæ, cœtera verò *membra*, quò longius à capite distabant, eò erant ignobiliora, argentea, ærea, ferrea testacea: Non, inquam, ita cum mystico Christi corpore comparatum est. Non est illud dispar sibi, aut è viliore materiâ gradatim compactum: Nullum in eo *membrum verum*, quod non capiti suo examussim respondeat: *Omnia in eo pulchra; omnia ejus sunt aurea* rectissimè dicis. Nihil *in* hoc corpore *mortuum*; nihil *extra* corpus *vivum* juxta *Hug.* de *S. Victore lib. 2. de Sacr. c. 2.* Sed hâc super re clarius tecum agam, ut ego tuam, tu contra meam, uterq; ex inde veram sententiam cognoscamus: Nosti *Raynaude*, distingui à nobis *Ecclesiam*, utpote corpus Christi mysticum, in *Visibilem* & *Invisibilem* (rumpantur ut ilia Momis) Quod dum facimus, non *Mathematicam*, nec *Utopicam*, nec *Imaginariam* Ecclesiam somniamus, aut *ideas Platonicas*, quas nobis audacter impingitis refingimus: Non introducimus etiam hoc *ipso duas Ecclesias* ἀντιδιηρημένως sibi invicem oppositas, ceu *Bellarminus* vester lib. 3. de Eccl. c. 9. & *Becanus* tr. de Eccl. q. 1. concl. 1. p. 20. aliique complicum nos traducunt: Minimè

E. membra non habet nisi formosa

verò omnium: Nos perspicuitati hoc ipso velificamur, & *diverso* unam & eandē Ecclesiam *respectu*, quem nobis proponit S. Scriptura, considerabamus. Nosti, *Raynaude*, scripturam apertè distinguere inter apertos & occultos Ecclesiæ cives *Ps.83,4 Rom.2,28.29. 2.Tim.2,19. 1.Pet 3,4.* Nosti eandem elogia nonnulla usurpare de Ecclesia visibili, quæ tn. ipsi, quâ visibilis est non competunt & contrà: ita profitemur in symbolo nos *credere Ecclesiam*: Necessum igitur est, invisibilem eam aliquâ sui parte esse, cum credere sit fidei; fides verò τῶν μὴ βλεπομένων *Hebr.11,1.* Ita Ecclesiam esse unam Spiritu, sanctam sanctitate internâ, coronam, sponsam, Filiam Dei esse negare non potes: De *visibili* autem totâ Ecclesiâ, secundum omnia ejus membra, hæc & similia prædicata dici non posse quis est qui non videat? Necessum igitur est, ut *invisibile* aliquid sub *visibili* cœtu, cui soli competat, quidquid honorifici de Ecclesia dicitur, agnoscas. Nosti denique promissionum divinarum cum historiis & vaticiniis concentum & harmoniam esse quærendā; At qualis inter ea foret harmonia, si nullam inter Ecclesiam visibilem & invisibilem distinctionem velis agnoscere? Vides in scriptura (ut quid velim, exemplo tibi uno vel altero significem) egregias de Ecclesiæ perennitate & conservatione Dei promissiones: Invictæ & immotæ confertur Petræ, adversas quam ne πύλαι quidem ᾅδου possint aut debeant κατισχύειν *Matth.16,18.* Pollicetur isti Salvator ipse suam gratiosam præsentiam & protectionem πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος *c. 28, 20.* & quæ ejusdem generis plura passim exstant promissa. Hæc igitur, *aut* fide digna non esse asseveras, *aut* nihil illis adversum accidisse statue, *aut* deniq; visibilem & invisibilem esse Ecclesiam diverso respectu concede: *Primum* nisi manifestè blasphemus non potes; Nec *alterum* nisi probrosè mendax. Nimis enim manifestum

ſtum Eccleſiam Vet. Teſtamenti, & Patriarchalem tam ante quam poſt diluvium *Gen. 4, 26. c. 6, 2. Joſ. 24, 2.* & Iſraeliticam in Ægypto *Ezech. 20, 7. & 8.* in deſerto *Exod. 32.* In terra Cananæa aliquoties *Jud. 2, 11. c. 3. 6. 1. Reg. 12. 28. c. 16, 31. 2. Reg. 17, 22.* cumprimis tempore Eliæ *1. Reg. 19.* ſub Judaiſmo Chriſto docente defeciſſe. *Novi* quoq; Teſt. Eccleſiam eadem paſſam eſſe deliquia æquè non obſcurum: Quin ipſi *Romanæ Eccleſiæ* idem evenire poſſe docet Paulus *Rom. 11, 20. 21.* Quî verò hoc ad divina iſthæc promiſſa? Quî *inquam*, poteris hîc te extricare, niſi *Eccleſiæ* in *Viſibilem* & *Inviſibilem* diſtinctionem admiſeris?

§. 8. In viſibili porrò hac Eccleſiâ *duplicis differentiæ membra* reperies: *Quædam* interius per Spiritum S. regenerantur, renovantur, verâ donantur fide, illuminâtur, ſanctificantur, Chriſtoq; capiti ſuo arctè junguntur, & inſeruntur quaſi. *Alia* verò externâ tantum ſocietate, quæ in profeſſione ſaltem fidei & ſacramentorum uſu conſiſtit, Eccleſiæ viſibili ſeſe jungunt, interna regeneratione & ſanctitate prorſus deſtituta. Atq; *iſta* vera & viva corporis myſtici dicimus membra, *hæc* putrida & emortua: *iſta* pertinent ad corpus illud internè, *hæc* externè duntaxat: *iſta* ſimpliciter, propriè & univocè; *hæc* ſecundum quid, impropriè καταχρηστικῶς & ἀμφιβόλως: *illa* reſpectu interioris & ſpiritualis cum Chriſto conjunctionis; *hæc* reſpectu externæ conſuetudinis & ſocietatis cum cœtu vocatorum: *illa* ὄντως, *hæc* ὁμωνύμως: *illa* judicio Dei; *hæc* hominum; *illa* ut veræ & ſanæ corporis partes, *hæc* ut ſcabies & mali in corpore humores. Utraq; tamen in Eccleſia viſibili, quatenus in oculos occurrit, per externam profeſſionem, ſi S. S. ſcripturæ fides: Hæc enim dum Tritico paleam & zizania *Matth. 13. v. 25.* Convivio hoſpitem οὐκ ἐνδεδυμένον ἔνδυμα γάμου *Matth. 22, 11.* Virginibus φρονίμοις τὰς λαμπάδας *Matth. 25, 2.* Vaſis aureis & argenteis ξύλινα καὶ ὀστρά-

Quomodo impii ad illud pertineant?

καὶ ὀσράκινα mixta docet esse, hoc ipso nobilia pariter ac ignobilia membra unius ejusdemque Ecclesiæ visibilis, isto tamen quem dixi modo, esse designat. Quæ omnia, si juxta mecum vera agnoscis, facis quod religiosum sacræ scripturæ æstimatorem decet, & fanaticis quibuscunq;, *Audæanis* sc. de quibus *Theodoretus* lib. 4. Hist. c. 10. *Novatianis* de quibus *Epiphanius* lib. 2. tom. 1. hæres. 59. *Cyprianus* lib. 4. Epist. 2. *Augustinus* de hæres. ad *Quodvult.* c. 38. *Donatistis* de quibus idem *August.* de hæres. c. 69. & *Anabaptistis* aliisq; *Catharorum* fautoribus rectè contradicis: Sed quid? si ipsi simul *Bellarmino* Cardinali vestro? Facis id profectò non obscurè, dum *omnia membra corporis mystici aurea esse contendis, sine fide porrò nihil ad corpo Christi pertinere dicis, imò nihil Christo inhærere, nisi fides interveniat*, palàm asseveras; *Bellarmino* sanè hæc non probātur omninò; *Ille* enim lib. 3. de Eccl. c. 2. §. 10. *Hoc*, inquit, *interest inter sententiam nostram & alias omnes, quod omnes aliæ requirunt internas virtutes ad constituēdum aliquem in Ecclesia, & propter ea Ecclesiam invisibilem faciunt: Nos autem & credimus in Ecclesia inveniri omnes virtutes, fidem spem, charitatem & cæteras, tamen ut aliquis aliquo modo dici possit pars veræ Ecclesiæ de qua scripturæ loquuntur, non putamus requiri ullam internam virtutem, sed tātum externam fidei professionem & sacramentorum communionem quæ ipso sensu percipitur.* Vides qualem *Bellarminus* Ecclesiam constituat, *Raynaude.* Verbis fateor, profitetur quidem, esse in Ecclesia internas virtutes, interim tamen ut quis sit *verum* Ecclesiæ in scripturis deprædicatæ *membrum*, negat illas requiri, cum etiam sine his possit aliquis esse *Ecclesiæ* membrum, modo *professione* fidei, *Sacramentorum* usu & *Subjectione ad Pontificem* Ecclesiæ sese conjungat: Impios igitur quoscunque, qui sine fide, spe & charitate pro veris Ecclesiæ veræ membris agnoscit, & si isti aurea sunt membra sub capite aureo, Christo sc., abs te

non

non dissentit fateor! Sed quid mirum, Bellarminum hìc tibi adversari? En quam turpiter ipse secum pugnet in hoc negotio! Lib. 3. de Eccles c. 9. *malos & impios* esse membra *mortua* & *arida* concedit quidem, nihilo tamen minus istos *vera Ecclesiæ membra* esse contendit. Quod si hæc non pugnant, ex *cadavere vivus*, *ex picto verus* homo producetur tandem, & omnis ὁμωνύμων natura unâ liturâ obducetur. Quid? quod non tibi modò, aut sibimet ipsi, sed *Spiritui* quoq; S. cornua hoc ipso obvertat *Bellarminus*, dum *impios vera* dicit corporis mystici *membra?* Hic enim membra ist hæc ita describit, ut ad impios trahi nullatenus possint. Ecclesiam sanè non corpus solum Christi, sed πλήρωμα etiam & complementum corporis esse dicit Paulus *Ephes.* 1, 22. Jam verò arida & mortua membra, tantum abest ut compleant ac perficiant corpus, ut illud potius onerent, & informe imperfectumq; reddant. *Ad Ephesios* porrò *c.* 4, 16. Totum Ecclesiæ corpus dicitur congruenter coagmentatum & compactum per omnem subministrationis juncturam κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους &c. Quis verò id de aridis & mortuis membris dici posse asseveraret? illa certè non sunt corpori per Spiritum vitæ coagmentata: Nulla etiam in illis est ἁφὴ nec ἐνέργεια, imò nullius ista incrementi sunt capacia. Qui igitur vera & viva Christi & Ecclesiæ membra possunt esse? Plura Bellarmino ex Scripturâ S. hìc possent *opponi*, tibiq; examinanda *proponi*, *Raynaude*, sed cui quæso bono? *Pondera*, non *numerum* oraculorum divinorum meritò intuemur; Hunc verò æquè ac ista adversus *Cardinalem* hic militare, cum extrà controversiam ac dubium tibi positum non dubitem, sufficiunt, quæ adduxi, spero abundè;

§. 9. Hactenus igitur mystico Christi corpori sua constat concinnitas, suum decus & pulchritudo eximia: Et in hoc convenimus ambo; pergerem itaque rectà tecum ad

ipsum monstri tui examen, nisi me *Raynaude*, morareris invitum, dum nescio quid monstri alis sub calcem puncti hujus primi. Est illud in hisce tuis verbis, quæ inoffenso pede præterire nequeo: *Tametsi*, inquis, *mali non pauci inveniuntur in mystico Christi corpore, tamen non spectant ad illud, prout mali & difformes Christo capiti, sed ut boni, saltem ratione fidei, cujus interventu inhærent haud indecore capiti Christo.* Quid hoc, inquam, *monstri? Raynaude?* Quis hìc latet anguis in herba? Dicis 1. Malos esse in corpore Christi mystico; Dicis 2. Malos esse bonos: Dicis 3. Malos pertinere ad corpus Christi, non quatenus mali sed quatenus sunt boni. Dicis 4. malos esse bonos, ratione fidei: Quas hìc nectis tricas? Quorsum istæ argutiæ? *Deliò* profectò *natatore* hìc opus est, qui tuam mentem *expiscetur*. Fateor *unum idemq; membrum* mystici Christi corporis posse dici *malum* pariter *& bonum*, si per *malum* illud intelligas, quod *imperfectè bonum* est: Hoc, *inquam*, nihil est novi: Quin ipsa Bona renatorum opera rectè dicimus hoc sensu mala, imò peccata, non *in se* quidem, *per se* ac *formaliter*, sed quod *peccatis* sunt *contaminata*, quod *imperfecta* propter *defectum* isti adhærentem, propterque concupiscentiam pravam in carne renatorum adhuc reliquam: *Peccatum est*, inquit *Augusti: cum vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quàm debet;* Quid igitur prohibet, quò minus *unus idemq; fidelis* dici possit *bonus pariter ac malus? malus* ob *imperfectionem bonitatis*, *bonus* ob *sinceritatem integritatemq; bonitatis*, cum primis ob *imputatam* Christi *justitiam* & *bonitatem?* Haud secùs possent etiam hoc sensu Mẽbra Christi *partim* mala, *partim* verò bona dici: Sic quidem excusari posses *Raynaude*, si cætera noster esses, & ὑγιαίνων, quamvis ne sic quidem ab omni prorsus ἀκυρολογία absolvi: sed video ὑπερλὸν illud tuum satis evidenter. Vin' illud denudem & in apricum ponam? Quid

Mali non pertinent ad corpus Christi ratione fidei.

Quid obstat? Te fortassis ejus non pudet, nec me piget.

§. 10. Nimirum *fidem* tuam *informem*, *deforme* illud *monstrum* hic nobis obtrudere satagis, satis obscurè dicam? an fraudulenter? Manifestius id prodis paulò superius ubi dicis: *Fideles non nisi sub eâ ratione, quâ pulchri sunt ac nitentes pertinere ad corpus Christi*, v. g. *saltem ratione fidei, quæ utiq; est nitentissima etiam in iis, quos charitas deficit:* Hìc ἕυρηκα, ἕυρηκα, quid tibi velis, ac quorsum tendas? *Fidem dicis esse nitentissimam etiam in iis, quos charitas deficit.* En tibi *informem* fidem! En quale hoc sit *monstrum!* Prius verò, quid sit vobis *informis* illa *fides*, dispiciam. Prolixè de hac disserunt præter *Lombardum*, *Thomam*, *Biel*, aliosque *Scholasticos* *Pererium* in c. 15. *Gen.* *Bellarminus* lib. 2. de Justif. c. 4. & 15. *Gregorius de Valentia* tom. 3. disp. 1. quæst. 4. punct. 3. 4. pag. 425. 426. *Stapletonus* lib. 8. de justif. c 32. *Pistorius* in Hodeget. p. 219. Omnes in hoc conveniunt; *Fidem informem* opponi *formatæ:* *Hæc* dicitur illis, quæ à charitate tanquam formâ perficitur: *Illa*, quæ à charitate sejuncta est: Utraq; introducta, ut fides in se considerata à justificatione excluderetur, universa verò ejus vis & efficacia à charitate deduceretur. Quæ hypothesis uti prorsus est elumbis & falsa, ita distinctio isthæc nullo etiam nititur fundamento, sed magna potius laborat *monstrositate.* Quis enim non animadvertit hoc ipso charitati nō parem modò cum fide, sed longè etiam præstantiorem efficaciam & valorem adscribi in negotio justificationis? cum *fides, non quâ fides, sed quâ charitate formata justificare dicatur?* Quis porrò unius ejusdemque *rei* plures diceret esse formas specificas & totales? Absurdum id pronuntiat Philosophus, nec potest secus. Habet fides suam debitam formā, nec opus habet, ut ipsi adjungatur ultrà, quod rationem formæ habeat: Est ista fiducialis Christi apprehensio, cui si quis aliam quamcunq; adnecteret,

Non enim datur fides informis.

ret, *biforme* faceret *monstrum* ex fide. Nec juvat *Bellarminum* vosque complices distinctio inter *formam* fidei *intrinsecam & extrinsecam*; *Hanc* esse *charitatem*, non illam, cum charitas fidei det, non ut sit, sed ut moveatur: Esto enim charitas extrinseca fidei forma, ab hac tamen fides formata dici non poterit: *Formatum* enim proprie dicitur *non ab extrinseca, sed ab intrinseca forma*, per quam res est, quod est & ab aliis distinguitur: Quin imò, si charitas est forma extrinseca fidei, ut vestimentum corporis, ceu vult *Bellarminus* & *Biel*, non sanè poterit fides agi & moveri per charitatem, nisi quis vestimētum agere & movere corpus posse ineptè assereret. Fatetur hoc ipsum *Bellarminus* ipse lib. 2. de justific. c. 7. col. 1058. Tametsi, *inquit*, aliquando denominatio fiat à forma extrinseca, quomodo dicitur res cognita per cognitionem, quæ est in mente, & paries dicitur visus per visionem quæ est in oculo, tamen cum in aliquo duæ sunt formæ contrariæ, una inhærens, altera extrinseca, sine dubio denominatio absoluta sumitur ab inhærente potiȝ formâ, quàm ab extrinseca: Si quis enim Æthiopem candidâ veste induerit, non rectè diceret, hic Æthiops est albus, quoniam magis pertinet ad eum propria & inhærens nigredo, quàm ille adscititius color externus. Hæc rectè *Bellarm.* Vides igitur, quàm non rectè saltem secundum *Bellarminum* ipsum fides à charitate dicatur formata, *Raynaude*: A page igitur cum *fide* tua *informi*! *Monstrum* est *fides* nitentissima *sine charitate*: *Monstrum fides per charitatem formata*: *Monstrum* inhærere Christo per *fidem*, & *charitate* tamen *destitui*: *Vera* corporis Christi *membra* & *fidem* habent & *charitatem*: *Fidem non per charitatem formatam, sed per seipsam*: *Per charitatem* porrò *non inseruntur Christo, sed per fidem*: *Per charitatem verò fidem suam testantur & declarant, non per ipsam fidei formam*. Quod si mecum agnoscis, fidei non tantum sua consta-

constabit integritas, sed omnis etiam Mystico Christi corpori labes & macula rursum abstergetur. Tantum igitur de concinnitate & pulchritudine corporis Christi Mystici, quod est Ecclesia;

§. 11. Concludo primum hocce punctum iisdem tecum verbis: *Procul*, inquam, *à corpore Christi Mystico omnis deformitas & macula acruga, aut aliquid ejusmodi, omnis defectus, aut exuperantia corpori indecora: Omnis*, inquam, *labes & deformitas, & multo magis omnis MONSTROSITAS.* Certus esto haud secus ab omni prorsus *monstrositate* me abhorrere, quam tute facis ipse; Agedum! Jungamus igitur vires: adornemus pugnam; adoriamur *monstra*, nec quiescamus ante, quàm singulis & omnibus ad internecionem datis Victores abierimus. Tu primos sustinebis impetus, & *beluam πολυκέφαλον* primò adorieris: Ego interim post principia stabo, & quid valeant humeri tui, quid ferre recusent, experiar; Si defeceris fortè, feram tibi suppetias, & ero tibi fidus *Achates*. Si verò tuo fortassis vitio novum prodierit *monstrum*, omne tibi renuntiabo consortium, & non modo tibi non parcam, sed per latus *Antagonistæ* tui ferrum in viscera tua transadigam, & sic utrumque ἀπροσωπολήπτως uno ictu conficiam atq; abolebo. Sit igitur

PUNCTUM II.

DE

Bicipitis pariter, & tricipitis corporis monstrositate.

§. 1.

SEntentia *Antagonistæ* tui, quam *monstrositatis* arguis, hæc est, *Raynaude*: Existimat ille *fuisse aliquando bina simul visibilia Ecclesiæ capita, quorum utriq; ex æquo inesset potestas supre-*

Sententia Anonymi sorboniſtæ de Tricipiti Eccleſiâ viſibili.

ma Pontificia; alterum Petrum, alterum Paulum tractatu de magnitudine Eccleſiæ Romanæ ex *S. S. Petri* & *Pauli* ſupremo Pontificatu. Fatetur quidem *Anonymus* iſte, poſt Beatos illos Apoſtolorum Coryphæos Pontificatum uni ſoli ſemper inextitiſſe, nec fieri nunc poſſe, ut pluribus inexiſtat, cum ea pluralitas ſit contra Chriſti inſtitutionem, utpote qui pro ſolo tempore prædicationis Pauli ratam habuit extenſionem Pontificatus ſimul ad plures: Hacce tamen ſuâ modeſtiâ tibi non ſatisfacit; nec mihimet, fateor ipſi. En tibi paucis, quid in eo deſiderem:

§. 2. Initiò quidem non in hoc mihi videtur aberrare *Anonymus*, dum *Paulum* adjungit *Petro*, & utriq; eandem ex æquo poteſtatẽ adſcribit & largitur. Neq; n. video, quî potuerit aliter, niſi ſanctiſſimæ Chriſti inſtitutioni obluctari impudenter voluerit. Ex hac enim nulla prorſus inæqualitas poteſtatis inter *Paulum* & *Petrum* elucet, ſed omnia iſti prorſus contraria. *Uterq;* erat Apoſtolus, & legatione pro Chriſto fũgens 2. Cor. 5, 20. *Uterq;* ad Eccleſiæ plantationem miſſus, *Paulus* quidem pm. *gentilium*, *Petrus* vero *Judæorum* Doctor & Magiſter; *Uterq;* immediatè à Domino vocatus; *Uterq;* Chriſti Pro-Rex & Vicarius; *Uterq;* clavibus regni cœlorum inſignis. *Paulus* quidem annos aliquot poſt *Petrum* accerſitus & electus ad Apoſtolatum, ob hoc tamen iſto non inferior; iſte quidem ἐκ τῶν δεκάντων, καὶ ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλων. Hic verò nullo minor iſto 2. Cor. 11, 5. c. 12, 11. Sed de hâc ἰσοτιμία ſuprà prolixiùs: Hanc igitur dum tuetur *Anonymus* veritatis ſanctæ vindex & aſſertor eſt.

Quatenũ admittenda.

Qua in re falſa.

§. 3. In hoc verò peccat, nec excuſari meretur, quod 1. ad ſolos hoſce duos æqualitatem hanc Apoſtolicæ poteſtatis reſtringit, eosq; pro viſibilib9 Eccleſiæ capitibus excluſis cœteris, agnoſcit: Eſto; fuerint *Petrus* pariter & *Paulus* viſibilia Eccleſiæ *capita*; Quid ergò *Jacobus*? Quid *Johannes*?

1.

nes? Quid *Andreas?* Quid *cæteri?* Quis istos solum *capita* jussit esse ac dici? Quis cœteros ab ista dignitate exclusit? Sanè Christus, cũ de πρωτεία litigãtes suos discipulos animadverteret, Luc. 22, 25. *Petrum* nõ excepit, sed omnes eadem reprehensione perstrinxit. Nullũ voluit κατακυριεύειν aut dominari cœteris: Nullum vel tantillâ potestate antecellere reliquos: Omnes pares & æquales jussit esse: Quid igitur obstat, quo minus tot dicantur visibilia Ecclesiæ capita, quot fuerunt Apostoli? Cur defraudat *Anonymus* cœteros titulis & nominibus, cum potestate & privilegiis jure possit neminem? Deinde & 2. in hoc etiam hallucinatur idem, quod soli *Petro* successorem concessum esse censet, nullum verò *Paulo*: Quid verò deliquisti miser *Paule*, quod omnis tibi planè denegetur successio? Eàdem cum *Petro* gaudes potestate: alterum juxta *Petrum* caput esse juberis: Idem tibi cum illo solium assignatur: Soli tamen tibi nemo surrogatur: potestas tua ad hæredem neminem derivatur: solium tuum post mortem tuam concidit & prorsus exstirpatur; cum *Petrus* tantò successorum gaudeat numero. Unde hæc tibi infelicitas? unde hoc opprobrium? Ex *institutione divina* dicit *author*; Sed dicit saltem non probat. Cedo hanc ordinationem! Cedo divinam istam institutionem, quæ pro solo tempore prædicationis *Pauli* ratam habuit extensionem Pontificatus simul ad plures; Hic Rhodus, hic salta! Hic afferenda erant institutionis & beneplaciti hujus divini fundamẽta ac κεφάλαια: Quæ cum nulla compareant, eâdem facilitate repudiaris, quâ id affirmas. *Tertiò*, in hoc etiam censuram meretur Anonymus tuus, *Raynaude*, quod utrique *Petro* pariter & *Paulo* PONTIFICIAM POTESTATEM tribuit *supremam*: Quænam quæsò ista *potestas Pontificia*, quam ille intendit? Quæ ista superioritas & ἐξοχή? Discamus id à *Bellarmino*, qui lib. 2. de *Rom. Pontif.* cap. 2, hanc ita 2. 3.

Potestas Pontificia.

describit. Pontifex, *inquit*, Rom. habet potestatem constituendi & confirmādi Episcopos per totū orbem; Item deponendi omnes Episcopos, & injuste depositos restituendi per totum orbem: c. 19. dicit eum habere potestatem ferēdi leges per universam Ecclesiam, censuram exercendi in totâ Ecclesiâ; c. 20. Cōpetere illi jus mittēdi legatos ad alias Ecclesias, qui in illis nomine ipsius omnia administrent & graviores causas ad ipsius judicium reservent. *cap. 21.* Ex quavis Christiani orbis parte legitime ad ipsū provocari posse, ab ejus verò sententia nullā dari appellationē *c. 26.* A nemine eum judicari, *lib. 4. de Rom. Pont. c. 1.* Esse ipsum summum ac ἀνυπεύθυνον in controversiis fidei & morum judicem. *c. 16.* habere potestatem ferendi leges, quæ conscientias obligent, & ad earum obedientiam cogere universam Ecclesiam *c. 24.* omnem ordinariam Episcoporum successionem à Papa descendere: Hæc & alia *Bellarminus* passim de Pontificis sui potestate in Ecclesiam & cum eo *Pighius* Hierarchiæ *l. 3. c. 12.* seqq. *Franciscus Agricola* de primatu *c. 15.* seqq. *Jesuitæ Posnanienses* part. 2. controvers. 2. *Bozius* de signis Ecclesiæ *l. 17. c. 6.* & *18. c. 3.* seqq. *Sanderus* de Visibil. Mon. *lib. 6 c. 9. Gregorius de Valentia* Analysis *lib. 7. capp. 4.* postremis. *Melchior Canus* Locor. Theolog. *lib. 6. c. 3.* seqq. aliiq;. Hi omnes potestatem absolutam & ἀυτοκεφαλικὴν adeoque dominatum in Ecclesia vendicant Pontifici suo Romano;

§. 4. *Temporalem* porrò & *Politicam* in Reges & Principes potestatem assignant Pontifici ex Pontificiis quamplurimi. *Politici* quidem (hoc enim illis nomen *Canonistæ* & *Theologi* propter Schisma dederunt) omnem illi potestatem aut Dominium circa Reges & Principes, resque seculares quasvis derogant, quamvis autoritatem ejusdem in universam Ecclesiam reverenter agnoscant. *Theologi* verò (hæc altera factio Pontificiorum) quamvis negent, Pontificem, ut Pon-

ut Pontificem *directè* & *immediatè* ullam potestatem temporalem habere, *Indirectè* tamen & ratione spiritualium habere summam in temporalibus potestatem eũdem, non diffiteri audent. Papam quidem, *dicunt*, eo ipso, quod est Papa, non esse Regem, aut Imperatorem, ita ut possit eadem gerere, quæ Regis aut Imperatoris in eo regno, eodemque Imperio, posse tamen Regibus & Imperatoribus uti pro auctoritate sua, si ita commodum existimet Ecclesiæ suæ. Declarant rem *exemplo*: Quemadmodum, *inquiunt*, Imperator ipse non est quidem singularũ familiarum δεσπότης, eo ipso, quod est Imperator, quare non potest *Titii* aut *Mævii* fundos pro arbitrio vendere, quomodo potest ipse *Titius* aut *Mævius*, quib. de suo licet agere, quod libet: Nihilo tamen minus, si ex usu sit Reip:, qui præest, non tantum jubebit vendere, sed & ipse addicit, non tanquam δεσπότης, sed tanquam Imperator. Similiter Papa, *pergunt*, eo ipso, quod est Papa, non potest de Imperio Germanorum, aut Gallorum regno statuere pro arbitrio, hoc est, tributa Imponere, bella indicere, pacem componere, quæ Monarcharum partes sunt: Quod si v. necessitas postulet Ecclesiæ, jubebit jure suo bellum suscipere contra Turcas, imò Reges à culmine deturbabit, si vel inutiles sunt, vel noxii Ecclesiæ: Hæc *Theologorum* plurium est sententia, cui etiam favet *Bellarminus l. 5.* de Pontific. c. 7. & 8. Displicuit tn. hæc *Bellarm.* modestia *Sixto V.* Pontifici vehementer; parum enim abfuit quin propterea omnia illius opera censurâ Pontificiâ abolerentur, ceu testatur *Barclaius* lib. de potest. Papæ *cap. 13 p. 101.* Longè severior est *Canonistarum* de potestate Papæ sententia. Hi enim contendunt, 1. potestatem jurisdictionis spiritualium & temporalium immediatam à solo esse Deo in Papa, potestatem v. secularem in Principibus ad ministerium. Dicunt 2. Papam ut Papam jure divino habere plenissimam

potestatē in universū orbē terrarū in rebus tum Ecclesiasticis tum Politicis: Quod idē tibi quoq; probari apparet inde *Raynaude*, quod p. 90. *Politicos*, *CAPITA* populorū, & sublimiores potestates omni creatâ jurisdictione absolventes, & CAPITA nominantes perstringis, & sententiam hanc omnibus Catholicis aversandam pronuntias. Asserunt 3. Dominium Principum translatum esse ad Ecclesiam, & residere in summo Pontifice, ut Vicario Summi & veri Regis Christi. & ideo posse Pontificem regna sua dare quib. voluerit fidelium. Hæc *Canonistæ*, *Alvarus* Pelagius, *Hostiensis*, *Panormitanus*, *Johannes de Lignano*, *Bozius*, *Mariana* & alii, quorum verba citat *Gerhard. Tom. 6. Loc. Theolog.* §. *305.* seqq.

§. 5. Et hanc potestatem ab aliis sibi assignatam libenter accipiunt *Pontifices Rom.* sed ipsimet etiam sibi arrogârunt & ad se pertinere audacter asseruerunt. *Gregorius* certè *nonus* Epistolâ ad Archiepiscopum Græcum apud *Matthæum* Paris in *Henrico 3.* ita loquens introducitur: *Illud tantum adjicimus quod utrumq; gladium ad Rom. pertinere Pontificem, ex Evangelica lectione tenemus.* *Nicolaus 2.* apud Gratianum distinct. 22. c. 11. Romanam Ecclesiam solus, *inquit*, fundavit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato æternæ vitæ clavigero terreni simul & cœlestis Imperii jura commisit. *Bonifacius* porrò 8. in *Extravagante*; Certè, *inquit*, qui in Potestate Petri temporalem negat esse gladium, is male verbum attendit Domini proferentis: *Converte gladium tuum in Vaginam*; Uterq; ergò est in potestate Ecclesiæ, Spiritualis sc. gladius & materialis. Quin reapse hanc suam potestatem secularem testati sunt *Rom. Pont.* identidem. Nam *Bonifacius* ille VIII. in sua jejunii celebratione publica pompâ ostentavit *se* primò *Papam*, secundò *Imperatorem* referente Kranzio Saxon. l. 8. c. 36. Utriusq;, *dicit ibidē*, penes se gladii potestatem manere affirmabat; quod ipso apparatu in eo,

qui

qui ut diximus, tum agebatur in urbe, Jubilæo solenniter fertur ostentasse. *Primò* quidem solenni die in Pontificalibus apparens populo, Apostolicam illi benedictionẽ impertitur: *Postero* autem *die* Imperiali habitu, infulâ nihilominus Cæsareali insignis, gladiũ ante se nudatum jussit deferri, & sedens altâ voce testatur: *Ecce duo gladii hic:* Eundem scripsisse ferunt ad *Philippum* quartum Francorum Regem in hæc verba: *Deum time & mandata ejus observa; scire te volumus, quod in spiritualibus pariter & temporalibus nobis subes:* Et quid quæso toties repetitæ illæ Imperatorum Regumq; excommunicationes & exautorationes ab *Hildebrando* s. Gregorio VII. & aliis Pontificibus docent aliud, quam summam illos supra Reges & Principes potestatem sibi arrogasse? *Est igitur*, ut ex his liquidò constat, *Potestas Pontificia nihil aliud, quã absoluta prorsus & αὐτοκρατορικὴ in Ecclesiasticis pariter & civilibus quibuscunq; rebus autoritas & Dominatus.*

§. 6. Et talem potestatem *Petro* pariter & *Paulo* tribuit *Anonymus* iste: Quæso te, quàm id ineptè & absurde *Raynaude!* Quis unquam talem in *Petro* vel *Paulo* potestatem deprehendit? Quis ab Apostolis reliquis ad utrumque vel alterutrum appellatum fuisse legit? Quis utrumq; αὐτοκρατορικῶς cæteris imperasse, suâq; autoritate controversias religionis seorsim composuisse vel fando audivit? *Nunquam* illi sibi solis arrogarunt jus condendarum pro arbitrio legũ; *Nunquam* pro autoritate suâ indixerunt concilia seclusis cæteris: *Nunquam* habuerunt sibi casus reservatos, in quibus (ut loquimos est) non potuerunt cœteri dispensare. *Nunquam* jactarunt posse se ex non jure jus facere: *Nunquam* aliorum judicia subterfugerunt: Imperatoribus porrò se non prætulerunt: Utrumque gladium sibi non vendicarunt; Transferri ac auferri abs se pro libitu regna posse nunquam docuerunt, nec re ipsa testati sunt: Non monstrabunt

bunt puto, *scribit Bernh. lib. 1. de consid. ad Eugen. col. 1015.* qui hoc dicunt, ubi aliquando quispiam Apostolorum judex sederit, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum; *stetisse* lego Apostolos *Judicandos*, non *sedisse* v. *judicantes*. Et Pontificiam tamen potestatem utriq; adscribit *Anonymus* Raynaude? Quo id audet *ore* dicere, nisi *duro*: Quâ *fronte*, nisi *ferreâ*? Quâ *mente* nisi *fallaci*, ac *improbâ*? Pessimè profectò sentis, nisi in hoc saltem ab *Anonymo* tuo dissentis: Non omnem quidem hoc ipso potestatem *Petro* ac *Paulo* derogatam volo: Data est ipsis *potestas prædicandi* verbum & administrandi sacramenta: Data iisdem *potestas* illa *clavium* regni cœlorum quâ nulla Regum & Principum sublimior est: Data porro *potestas ordinandi* ministros, sanciendi leges, ad τάξιν & οἰκημοσύνην Ecclesiasticam: Quin θαυμαστικὴ etiam *potestas* illis concessa est divinitus: At nec hæc soli *Petro* & *Paulo*, sed omnibus ex æquo Apostolis: Nec cum hac secularis illa ac αὐτοκεφαλικὴ *Anonymi* potestas; Noverunt hanc sibi non convenire, cum essent ministri saltem ὑπηρέται, μάθηνοι, οἰκονόμοι, non δεσπόται καθηγεμόνες, & αὐτοκέφαλοι: Non ignorarunt *potestatem illam* αὐτοκεφαλικὴν in Ecclesia soli competere *Christo*, cum ille solus κύριος 1. Cor. 3. 6. Solus σωτὴρ πάντων & ὑπὲρ πάντα, solus & σωματος τῆς Ἐκκλησίας κεφαλή. Col. 1. 17. 18. Quin regnum etiam Christi non esse mundanum s. ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, aliquoties à Magistro suo acceperant. Vides quàm nulla planè Pontificia potestas Apostolis possit adscribi? Vides, quàm fœdè hîc impingat *Anonymus* tuus *Raynaude*? Transis hæc silentio, fallor? an lubens, nec propterea Lucifugæ ullam moves litem: quapropter hæc ἐν παρέργῳ rursum quin monerem *non potui*, *nec sanè debui*, ne ferret impunè, quod temerè nimis & audacter effutiit; Quo facto rectà tecum ad monstrositatem *bicipitis* illius *Ecclesiæ visibilis* pergo.

Potestas Paulo-Petrina.

Non

§. 7. Non posse sententiam *Anonymi* tui, quæ bina si- *Quam mon-*
mul fuisse fingit Ecclesiæ capita visibilia, quorum utrique *strosa.*
ex æquo pontificia potestas suprema cõmunis fuerit; Non posse, *inquam*, illam subsistere nec tolerari, probas inde, quia *sic fatendum esset corpus Christi fuisse aliquando monstrosum*, quod omnium ἀτόπων censes esse ἀτοπώτατον. Atq; ut illud eò luculentius dares evictum, ex *Physiologis* mutuatus es nonnulla, quæ *monstrorum* naturam ac indolem concernunt. Non opus, opinor est scrinia Physicorum hic compilare, & de *monstrorum* natura prolixè Rhetoricari: Satis est, quod in confesso sit apud omnes, *Bicipitem* aut *pluricipitem* in *monstrorum* censum pertinere & rectissimè referri: Est enim *monstrum* juxta accuratissimos *Physiographos* naturalis effectus, cum insigni deformitate à causa deficiente & aberrante productus. *Dividitur* ab iisdem in *id* quod *speciem mutat*, ut Mulus, Gallopavus &c. & quod *speciem servat*, idq; *vel* circa sexum, *vel* circa constitutionem aliarum partium sexu illæso: Posterius quatuor potissimum modis fieri censent 1. ratione numeri; 2. ratione magnitudinis. 3. ratione unitatis, 4. ratione conformationis: *Ratione numeri*, monstrum esse dicunt *vel* in excessu, *vel* in defectu: *Hoc*, cum partium quædam abest, quæ adesse debebat; ut cum nascitur homo absq; brachiis, pedibus, capite &c. *Illud* cum pars quædam adest, quæ abesse debebat; Et huc pertinet inter alia *Biceps homo*, s. quodcunq; aliud animal uno plura capita habens, eò sanè deformius, quo capitum feracius. Et hujusmodi *monstra* reperta passim fuisse testes sunt historiæ, ac recentiorum pariter & vetustiorum monumenta quamplurima: Non est necessum ut Hydram illam Lernæam septem capitum beluam Herculis clavâ interemptam, aut *tricipitem* Cerberum, aliaq; Poetarum πολυκέφαλα monstra ad *Ovidii* Metamorphoses revocanda, producamus. Illa enim vixisse

credimus, quam *Platonem* inferno dominari, ex dentibus homines enatos, homines in arbores transmutatos, Deos à Gigantibus lacessitos, & reliqua Poëtarum commenta & deliria. Alia passim apud historicos fide dignos occurrunt *monstrorum* talium exempla. Ex *Orosio* constat, impendente bello Macedonico, in agro Vejenti C. *Petilio* & C. *Valerio Consulibus*, puellum *bicipitem* natum esse. *Rabbi Moyses* porrò tradit Aphoris. 25. mulieres Siculas quodam anno fœtus deformes quamplurimos, & potissimum *bicipites* peperisse; *Bicipitis* etiam puellæ effigies habetur apud *Ambros. Paræum*, quæ omnium membrorum venustate fuit elegans, præter duo capita, quæ eodem bibendi, edendi, dormiendi, & loquendi desiderio tenebantur; Hoc *monstrum* ostiatim victum quæritabat, sed tandem *Bavariâ* jussu Dynastarum excessit, quoniam timuerunt, ne mulieres gravidæ frequenti hujus *monstri* conspectu, similem fœtibus deformitatem fortè imprimerent: Non dissimilis *monstri* meminit *Cardanus*, quod mense Jan. Anni 1544. *Mediolani* natum est; Erat hoc *Biceps* quidem, at reliqua ejus omnia unum tantum corpus referebant; Cœterum, postquam cadaver à Chirurgis fuerat dissectum, œsophagus cum ventriculo inventus est geminatus, in fundo tamen coibant, ubi pylorus erat unus, ex quo postea gemina intestina oriebantur, quæ tandem in unum intestinum rectum coibant. Cor præterea erat hic bifidum, quia Græcum Υ repræsentabat; jecur crassum & longum sinè pinnulis cernebatur; spina dorsi erat duplicata, cum distantiâ unius digiti inter utrumq;. Renes porrò erant gemini sed uterus unicus, & unica vesica; Natum est hoc monstrum vivum, sed paulò post obiit ob incuriam obstetricis, quæ collum unum ipsi intorsit; Hæc *Cardanus* lib. 4. de rerum varietate c. 77. In *Siciliâ* præter hæc Anno 1536. natus esse fertur infans *tria habens capita, tria pectora,*

sex

sex brachia totidemq; pedes, qui triplici triplicis capitis ore lac sugebat & vagiebat. Et hujus generis exempla alia quamplurima recensent quotquot de *monstris* seorsim scripsere, utpote *Weinrichius*, *Fortunius Licetus*, & cumprimis solertissimus ille naturæ mysta ac urinator *Ulysses Aldrovandus* (cujus genium & indolem accuratè eleganterq; depingit *Joh. Corn. Wterwerius*, *Med. D.* Epigrammate, quod ejus effigiei subjecit, cūq; hâc videre est tom. 1. *Ornitholog.* Aldrovand.

Non tua Aristoteles, *hæc est*, *sed* Ulyssis *imago*,
Dissimiles vultus, *par tamen ingenium.*)

in historiâ *monstrorum* pag: m. 400. seqq. ubi prorsus stupendas animantium πλυκεφάλων tam inter homines, quam bruta repertarum effigies videbis, quæ si *monstris* accensere nolueris, in *monstrorum* cēsum hoc ipso temetipsum referes aut deturbabis potius.

§. 8. Rectius de *monstrorum* naturâ judicas *Raynaude*, nec in hoc aberras, quod à Physico ad morale corpus progrederis, ac neutri uno plura citrà insignem *monstrositatem* tribui posse capita concludis; Est ita profectò, nec esse potest secus; *Quodcunq; tandem sit illud corpus, seu morale, seu physicum, seu quodvis aliud, si plura uno habeat capita, deforme erit & monstrosum, ac proinde à perfectione & concinnitate debitâ longè alienum.* Non potest igitur sententia *Anonymi* tui de Ecclesiâ Bicipiti, eâdemq; visibili non esse vehementer *monstrosa* & absurda; *Monstrum*, inquam tecum, facit ex pulcherrimo Christi corpore, dum *duplex* illi *caput visibile* alterum *Petrum*, alterum v. *Paulum* Pontificiâ potestate præditum absq; subordinatione assignat; tollit hoc ipso elegantiam mysticī Christi corporis: Patres polytheismum impugnantes ab impossibilitate plurium Rectorum sine subordinatione erroris arguit: duplicē Ecclesiæ Christi spiritum affingit: Quin hoc ipso *monstrositates* auget,

quod Paulum Petro, unum caput alteri jam pridem constituto superveniſſe & velut agglutinatum eſſe fingit. Omnia hæc rectè ex opinione *Anonymi* tui deducis: laudo tuos in retundendo hoc *monſtro* conatus; Mactè iſthâc virtute tua! abſurda, falſa, *monſtroſa*, quæ inde ſequuntur ſunt omnia. Nullam in hiſce omnibus antagoniſtæ facis injuriam: duro nodo durum rectè quæris cuneum; habes me tibi per omnia conſentientem, quin applaudentem, lœtumq; Pæana canentem. Apage, Apage cum *Tricipiti* iſtâ Lucifugæ *Eccleſiâ*.

Κρησφύγετα *Anonymi*.

§. 9. Sed vide quanta ſit hujus vafrities & verſutia; facit ille quod ſolent *monſtroſorum* fabri dogmatum, qui in omnes ſe vertunt figuras, & varia quærunt diverticula ac ſubterfugia, ut ſuos excuſent errores, omnemq; à ſe turpitudinem amoliantur. Animadvertit ſcil. *Tricipitis Eccleſiæ* (ita rectè eum appello, cum tria ipſi affingat capita, *Chriſtum* ſc. *Petrum* & *Paulum*) *monſtroſus faber*, *monſtroſitatis* accuſatũ ſe iri: Metuit ſibi â fulmine Anathematis Papali, cum hoc ipſo non parum Majeſtati ejus deroget: Quapropter ſolenniter proponit, ac teſtatur non *duplex* ſed *unicum* abs ſe caput introduci, quamvis Petro Paulum jungat & utrique idem aſſignet ſolium. Quod ut aliqua veri ſpecie veſtiat, adfert initiò exemplum ipſiusmet Auguſtiſſimæ *Trinitatis*, quæ licet triplex ſit perſonis, unicus tn. eſt Univerſorum Rector & moderator. Adhibet *præterea* ſuffragium S. Gregorii *lib. 6.* reg: Epiſt. 37. qui ſcribens ad *Eulogium Alexandrinum* affirmat, *tres iſtas* Patriarchales ſedes Romanam, Alexandrinam & Antiochenam *unam & eandem* Petri ſedem fuiſſe, quam ita tenerent tres Epiſcopi, ut tn. omnes unum eſſent in Petro, & ejus unius authoritate ad tres illos transfusâ & in tribus unicâ potirentur. Ipſum etiam *Theodorum Balſamon.* ad ſuas trahit partes, qui ſanctiſſimos illos

5. Pa-

5. Patriarchas *unum esse* dicit caput corporis omnium Ecclesiarum. Non ergò novum esse, *ait*, Apostolorum hosce Principes Petrum & Paulum ita duo statui capita ut tn. non sint nisi unum: Hoc χρησφυγέτῳ omnem se declinaturum *monstrositatem* ac culpam tantum abest ut dubitet *Anonymus* noster, ut persvasum etiã sibi planè habeat & illud audacter pronunciare non vereatur.

§. 10. Hîc rectè urges Adversarium *Raynaude*, clavâq; tuâ *Herculeâ* renascentia *monstri capita* ulterius retundis & omnem isti larvam opportunè detrahis. Quid n. istæ officiæ? Quid ista tergiversationum portenta? Nimis profectò frivolum, quod huc; Exemplum *Augustissimæ Triados* advocet in sui præsidium. Argumentum id est desperatæ causæ, quod de creaturis agens ad Creatorem dilabatur, & ex hujus incomparabili unitate ad *Petri Pauliq;* conjunctionem hanc ratiocinetur; *Mirum*, quod admirandam istam Trinitatis Sacrosanctæ ἀδιχώρητον *Petro* & *Paulo* non assignet etiam: *Mirum* quod nihil inter eos prius & posterius majus & minus esse exinde pariter non concludat: *Mirum* quod numerum aliquem propriè dictum inter Petrum & Paulum obtinere velit, cum ille à Trinitate exulet; Eâdem enim ista consequentiâ ad *Pet:* & *Paulum* possent trahi, quâ unitas & consensus. Non ita temerè ad Mysteria erat confugiendum *Anonymo:* Considerandum potius fuerat, quantum exindè sit sequuturum absurdi, & in *Trinitatem* venerandam injuriarum: Non sunt nec dici possunt *tria* in SS. Trinitate *capita*, *tres* gubernatores, *tres* causæ Sociæ (quicquid etiam hîc argutētur *Keckermannus* Syst. Theol. p. 48. *Piscator Herb.* in anal. Eph. 1, 7.) Non patitur idipsum summa & μυσηριώδης personarum istarum unitas essentialis. Hanc igitur vel assignet *Anonymus Petro* etiam & *Paulo*, & *uno* sit cõtentus *capite*, vel pluralitatem in illis agnoscens, (neq; enim poterit aliter,)

ter,) ab exemplo Trinitatis unius & indiviſæ abſtineat.

§. 11. Rectè porrò conſtringis *adverſarium* tuum *Raynaude* hoc dilemmate: ſi bina hæc Eccleſiæ capita ſunt unum, revera erunt id ipſum *vel* ob voluntatum conſenſionem *vel* ob regiminis alternationem. *Hoc* ipſe non admittit *Anonymus*. Vult n. *Petrum* & *Paulum* non alternis fuiſſe Pontifices, ſed utrumq; ſimul præfuiſſe Eccleſiæ. *Illud* verò fieri facile non potuit: Imò unitas illa & concordia perpetua Rectorum, qualis neceſſaria eſt ad convenientem Eccleſiæ gubernationem, rem moraliter ſpectando tantum non impoſſibilis eſt, cum agitur de duob. ſupremis Rectorib. ſibi non ſubordinatis. Enimverò *Regimen* Eccleſiaſticum hac in parte *Civili* ſ. Politico per quam ſimile eſt; *Non poteſt unquam inter plures dividi Monarchia*, ſcitum eſt *Politicorum*. *Nulla enim fides regni ſociis, omnisq; poteſtas impatiens conſortis erit* canit Lucan. lib. 1. *Senecæ* dictum eſt in Agamem: *nec regna ſocium ferre nec tæda ſciunt: Non benè cum ſociis Regna venusq; manent.* Ovid. 2. de arte amandi: Si n. *Pompejus* & *Cæſar*, quos & poteſtas populi & authoritas Patrum poterat cohibere: Si *Narſes* & *Beliſarius* ſine æmulatione nequiverunt vivere, quantum vis Imperatori ſubjecti, quid ſperemus de iis, quib. tantum licet, quantum libet, inquit *Arniſæus* in doctiſſimâ prudentiſſimâq; doctrinâ polit. cap. 9. p. 203. Advertit id Romanus *Fabius*, qui cum *Minutio* noluit eadem caſtra figere, quod duob. Imperatoribus rarò conveniret. Liv. lib. 22. *Plutarch.* in Fab. Et hac de causâ *Polybius* putat inter Rom. Coss. alternum fuiſſe Imperium, ne diſſenſio eorum periculum adferret reipub. Laudat quidem *Mamertinus* in Panegyr. concordiam *Diocletiani* & *Maximiani*: alii *Antonini* Philoſophi, & *Lucii* fratris, alii *Gratiani* & *Valentiniani*; Hæc tamen noſtram non evertunt ſententiam: Inter hos enim *vel* ſalva erat ſubjectio allecti ad allegentem, *aut* intervenit

parti-

partitio provinciarum, quas quisq; sibi seorsim haberet regendas independēter ab alio, *vel* tanta non fuit concordia, qualis prædicatur, ceu de *Diocletiano* quidem & *Maximiano* constat ex *Zosimo*. Quicquid sit hujus tanta certè est varietas adjunctorum in negotiis ad Regni alicujus rectionem spectantibus, ut fieri fermè non possit, quin existat circa eam magna judiciorum diversitas, quam ex necessitate subsequitur voluntatum discordia, & infallibile Rectorum non subordinatorum dissidium. Idem, *inquam*, circa Ecclesiæ regimen usu venire potest; nec aliter sanè potest. Quod si illud duobus supremis sibiq; non subordinatis Rectoribus committeretur, quietum non foret ac tranquillum, sed multimodis turbaretur, quin everteretur tandem & prorsus collabasceret, juxta illud Salvatoris: Πᾶσα βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν διαμερισθεῖσα ἐρημοῦται, καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει, Luc. 11, 17. Quid n. facilius, quàm ut duæ voluntates, quæ sunt supremæ potestatis subjecta, collidantur inter se, dum una improbat, quod alteri est acceptum, ac præ comparis æmulatione destruere nititur, quod illa fuerit meditata? si diceret *Anonymus*, inter Sanctos, quales *Petrus* erant & *Paulus* tale dissidium non metuendum, quia æmulatione vacant: tum de sanctitate humanâ nimis magnificè sentiret, & facto ipsi manifesto (de quo Paulus ipse Gal. 2.) impudenter contradiceret: Hæc & alia Tricipitis Ecclesiæ fabro rectè partim opponis *Raynaude*, partim etiam opponi possent prolixius, si quid difficultatis supereſſet.

§. 12. Exemplum tamen illud de *Episcopis* quod affers (quod pace tua dixero) planè mihi videtur alienum, & falsis niti hypothesibus. A minori scilicet ad majus, ab Episcopis ad Pontificem supremũ argumentaris, & huic consortem jungi posse negas, quoniam isti talẽ non admittunt. Dicis n. *Episcopum* quemq; suam sibi sedem absq; consorte consen-

consentaneè ad Christi institutionem habere, nec unquam viguisse usum, ut ejusdem simul plebis duo essent pleno jure Episcopi, quia sensus Ecclesiæ semper fuit, id abhorrere à Christi institutione. Quantò ergò magis, *inquis*, in totius Ecclesiæ præfecturâ suprema consentaneè ad Christi mentem, unitas Rectoris est necessaria? καὶ ἄνθρωπον quidem illud simile rectè adfers, at non κατ' ἀλήθειαν, *Raynaude*; Admittit n. *Anonymus* tuus sensum illum Ecclesiæ vestræ de solitario *Episcoporum* primatu dubio procul, & hoc admissô, haud leviter constringitur. Quod si verò mihi aut alteri cuivis rectius informato illud obverteres, nihil profectò ageres; Unde n. istius Episcopalis *Monarchiæ* produces *fundamenta*? Ubi illa, quæ jactas divinæ institutionis sunt documenta? Ego certè nusquam ista deprehendo apud scriptores sacros, ac ne vestigia quidem eorundem? De *sensu* Ecclesiæ vestræ non laboro. Rectè *sentienti* potius *assentior*, nec ἀτερ γραφῆς quidquã admitto. *Episcopos* quidẽ divinitus institutos esse & præfectos Ecclesiis non ignoro, sed *plures uni* Ecclesiæ: *Unum* verò *pluribus* Ecclesiis præcisè ceu *Monarcham*, cumq; incomposibilitate consortis à Christo vel Apostolis esse præfectum, nusquam invenio, & suprà prolixè destruxi. Ita *tritico* tuo multa subinde misces *Zizania Raynaude*, & ex *falsis* quandoq; principiis *falli* demonstras adversarium tuum, uterq; ab errore non immunis. Quicquid verò sit hujus, scopum certe, ad quem collimas, feliciter assequeris, quocunq; etiam utaris telo, & *Anonymum* tuum de *monstrositate* abundè convincis: *Monstrum*, inquam, καὶ πάλιν λέγω *Monstrum* ille fabricat, dum *uni* eidemq; *corpori plura* unô *capita* assignat, *uni Regno plures Monarchas*, *uni societati* plures sibi *non subordinatos Rectores*. Quod dum impugnas rectè facis, & egregiam à nobis laudem ac spolia ampla reportas. *Ratum igitur esto & in confesso apud omnes*, à mon-

à monstrositate non posse absolvi Ecclesiam, si plura uno ipsi jungantur capita: Ambabus hoc tecum acceptamus manibus, & pedibus in tuam imus sententiam; Quin *Anathema* tecum audacter dicimus illi, qui contrariam conabitur tueri & stabilire.

§. 13. Sed quid de temetipso fiet, *Raynaude*, si vera sunt, quæ dixisti hactenus? *Monstrositatis* hactenus accusasti prolixè *Anonymum*, illum *Tricipitis Ecclesiæ fabrum*: Feciſti hoc ipso rem mihi gratam, nec tuâmet indignam industriâ; Conjunxi igitur tuis vires meas, & in elidendo hoc *monstro* auxiliares tibi manus lubenter commodavi: Sed quid hoc novi quæso *Monstri*? ὅτω μὲ ὁ δαίμων πέρα συγκαθεῖρξεν? haud abs re dixerim cum *Ulysse*, *Cyclopis* id temporis socio ac domestico: *Monstrum* oppugnare me video cum *monstroso* socio, & *reprehendere* tecum in *Anonymo Monstrositatem*, quàm in temetipso tamen manifestò *deprehendo*. Apage igitur *Raynaude*; nescio quid de te suspicer mali: deseram aliquantisper partes tuas, & in tua inquiram vitia: Aut valdè fallor, aut reus es ejusdem criminis, quod in Adversario tuo redarguis: Prodi igitur in medium, & vel te mihi purga, vel res tibi tuas habe, & eodem peri gladio, quo confodis adversarium tuum: Res omnis sic se habet. *Quodcunq; corpus uno plura habet capita, illud deforme est & monstrosum*: hic tuus est Ensis *Raynaude*: hoc telo adversus *Anonymum* Petro Paulum, caput capiti jungentem insurgis: Hoc omniũ optimè jugulari illum posse gladio gloriaris audacter: Sed quid? si propria cædas vineta, & tibimet pares malum, dum alteri? Facis hoc profectò evidenter: Vide quæso quantum tuo *capiti* malum suas: *Corpus Christi mysticum*, *Ecclesia* sc. *per temetipsum uno plura habet capita*. E. *per temetipsum erit deformis & monstrosa*: Ergò *monstrum* facis ex Ecclesia: Ergò formositati & elegantiæ ipsius, quam antè asserebas, ipse

Ecclea Bsiceps æque monstrosa.

derogas plurimum & turpes illi maculas aspergis. *Posterius*; nisi absurdè, negare non potes: De *priori* etiam ita spero te convincam, ut ne hiscere quidem aut mutire contra ausis, vel nullò certè jure possis. Scilicet *bina* Ecclesiæ dicis esse *capita Raynaude*; *Alterum* est *Christus*, *alterum Petrus*, ejusdemq; successor *Pontifex Romanus*. Alterum *Visibile*, alterum *invisibile*, unum *primarium*, alterum *secundarium*; Extrà omnem hoc controversiam ipse ponis, dum sub initium *puncti* 2. ita loqueris: Non est hîc, *inquis*, quæstio de binario illo *Capitum subordinatorum*, quorum unum nunc nobis non est aspectabile CHRISTUS scilicet, alterum v. vicariâ ejq; præfecturâ fungens fuit suo tempore PETRUS, & deinceps is, qui ad regendam Ecclesiam Petro cum pari potestate sufficitur; Hæc duo *capita* certum est non inferre *monstrositatem* corpori Christi mystico, s. *Ecclesiæ* Dei, quia si invicem &c. In eadem tecum sententiâ sunt *Pontificii* tui ad unum omnes; omnes, inquam, in hoc consentiunt; omnes uno clamant ore, *Petrum* & hujus, quem dicunt, successorem *Pontificem Rom.* esse Caput Ecclesiæ, ipso licet Christo *primo* & *Principali* existente *capite*: At verò monstrosam hoc ipso reddi Ecclesiam, agnoscit, quantum ego quidem sciam nemo omnium, quin apertè illud negas potius *Raynaude*, ceu verba tua modò citata testantur. Non video tamen, quî negare id possis, nisi rationes omnes, quibus adversarii tui sententiam *monstrositatis* accusasti, unâ velis liturâ expungere, tibiq; ipsi turpiter contradicere;

§. 14. En tibi unicum (quid enim pluribus in re tam manifesta?) hoc argumentum;

Si Ecclesia capita habens duo, alterum *visibile*, alterum *invisibile* à *mõstrositate* potest absolvi, sequitur quoddã

Corpus biceps à monstrositate *absolvi posse*;

Atqui falsum est per te posterius, E. & prius:

Quid

Quid ad hoc *Raynaude?* Quî te hîc expedies: *Minorem* pro tuâ scio, libenter agnoscis; Pugnas enim pro istâ ceu pro aris & focis, ut ex superioribus liquet. Negabis ergo fortassis consequentiam *Majoris*? Imò negas hanc exsertè asserendo unam atq; alteram distinctiunculam; Prodeant in medium, ut causæ tuæ prodant vel justitiam vel injustitiam. Dicis 1. non esse *christum* & *Petrum* s. *Pontificem* duo capita si inter se comparentur; Dicis 2. non esse ejusdem *potestatis*, sed alterum alteri, Petrum Christo *subordinatum*, & hinc rursum nõ duplex, sed unũ saltẽ Caput; Dicis 3. non esse ejusdem *qualitatis*, sed diversæ, unum *visibile*, alterum *invisibile*; Verba tua sunt hæc; Hæc duo (*inquis*) *capita*, certum est non inferre *monstrositatem* Ecclesiæ Dei; quippe si invicem comparentur non sunt *duo capita*: Solus quippe *christus* habet rationem *capitis*, *Pontifex* autem non habet, nisi rationem *membri subjecti*, Christo antonomasticè *capiti* subordinati. Quâ ratione eliditur difficultas imperitè mota â *sectariis* contrà Titulum *capitis Ecclesiæ* Rom. Pontifici tributum, quasi inde *christus* fiat *capitis minor*, si aliud statuatur corporis Ecclesiæ caput; At (ut præmisi) *Pontifex* ad *christum* comparatus non est *caput*, sed *membrum* subjectum; etiamsi comparatus ad reliquam Ecclesiam sit *visibile* ejus *caput*, Christo *subordinatum*. His & aliis distinctiunculis effecturum te speras, ut nihil monstrosi ex tuâ sententiâ possit deduci; sequeris in hoc omninò *Anonymum* tuum, qui multa quærebat latibula & multas cõminiscebatur exceptiones, ut *monstrositatis* crimẽ declinaret, ita ut in temetipsum bellè quadret illud *Augustini* lib. de *nat.* & *grat.* c. 25. Procliviores sumus quærere potius, quid contrà ea respondeamus, quæ nostro objiciuntur errori, quam intendere, quam sint salubria, ut careamus errore. Sed vide quæsò quam tè incassum maceres, *Raynaude*; *Examinabo*

singulas, quas nectis tricas, ut omnes *exanimatas* luculenter videas.

§. 15. *Frustra* 1. dicis *christum* & *Petrum* non esse *duo* capita, *si inter se comparentur*. Non enim hic controvertimus de *capite* relatè ad *christum* sed ad *Ecclesiam*: Quæritur, utrum unius ejusdemq; corporis mystici, quod est Ecclesia, sit unum saltem, an verò plura capita? Respondes unum esse si Petrus aut Pontifex consideretur relatè ad Christum: at de hac inquam, relatione non quæritur, sed de ea, quæ est ad Ecclesiam; satis est quod *Petrus* aut *Pontifex* comparatus ad reliquam Ecclesiam sit per te caput ejus Sic enim idem corpus bina habebit capita; sic *monstrum* erit Ecclesia, tuq; *monstri* patronus, quicquid etiam contrà attentaveris. Non te *porrò* à *monstrositate* liberat, quod dicis 2. non esse isthæc *capita* ejusdem potestatis & authoritatis, sed sibi invicem *subordinata*, alterum sc. *primarium*, alterum verò *secundarium*: Quicquid enim sit hujus, *monstrum* tamen est manetq; quod propugnas. Quis unquam vidit aut audivit corpus benè constitutum formatumq; corpus inquam non *monstrosum* capere duo capita, unum *primarium*, alterum *secundarium*; manet hic pluralitas *capitum* ejusdem corporis, quamvis respectus variet. Hæc verò *pluralitas* ad *monstrositatem* sufficit. Verbo *Raynaude*: *illud secundarium, quod fingis caput, aut verè non est caput comparatè ad Ecclesiam: aut Ecclesia est corpus verè biceps. Atqui secundarium illud est juxta te isthoc pacto verè caput. Ergò Ecclesia est corpus per tè verè biceps.* Ergo *monstrum*. Quin igitur hoc admittis? Quin *monstrositatis* te reum agnoscis? Nunquam profectò istam declinabis, nisi *secundarium* illud caput aut planè repudiaveris, aut biceps corpus *monstrosum* non esse impudenter asseveraveris.

§. 16. Sed

§. 16. Sed ne sic quidem acquiescès scio, *Raynande*: Idē abs te mihi metuo, quod *Hercules* in *Hydrâ* suâ *Lernæâ* observavit, quæ uno licet vel altero resecto, plura tn. & fortiora producebat *capita*, sectoq; corpore firmior vinci dolentem crescebat in *Herculem* juxta *Horat*: Habes hîc *plura* dubiò tenus, quæ obvertas *tela*, plures, quibus elabaris rimas, quas nisi obstruxero ac infregero maturè, non video quî constringi possis. Dices *capita* ejusdem corporis sibi invicem *subordinata* non inferre *monstrositatem*, quia 1. regnum aliquod possit esse biceps, fueritq; de facto tale regnum *Lusitaniæ*, quod *Regem* habuit absentem, *ProRegem* verò præsentem, utrumq; ut *caput* in externo Regimine, sed alterum alteri subordinatum. Quod *Becanus* etiam adducit l. 1. c. 4. num. 27. manual: quia 2. Ecclesiæ etiam in oppositione ad Christum tribuitur aliquod *caput* membris oppositum 1. Cor. 12, 21. *Item*, sicut Deus est caput Christi, Christus viri, vir mulieris 1. Cor. 11, 3. neq; tamen ideò mulier est *monstrosè* triceps: Ita Christum esse caput Papæ, Papam Ecclesiæ, quod iterum *Becanus* obvertit Tom. 5. opusc. l. 1. c. 5. n. 18. Has & plures ejusdem farinæ tricas passim nectitis, ut *monstrositatis* crimen à vobis avertatis; Sed frustra isthæc omnia, vestroq; cum dedecore. ProRegis 1. Exemplum huc planè non quadrat. Non est ille, nec abs quoquam dicitur *caput* Regni, sed *capitis*, saltem *minister* & organum. Deinde in hoc etiam simile illud de *ProRege* est dissimile, quod *ProRex* à *Rege* & capite suo sit adlectus, & ex ejusdem instituto ad hunc vicariatum evectus: *Romanus* verò *Pontifex* nequaquam à Christo, ut solus *ProRex* sit & Vicarius ejq, de quo postea. Accedit, quod planè caducum sit argumentum, quod ab analogiâ regnorum secularium petitur. Etenim quod hæc ProReges requirant causa est *Regum impotentia, absentia* & *ignorantia*; si Rex *Hispaniæ*

aut alius quispiam esset Omnipotens, Omniscius, Omnipræsens, non indigebit unquam Vicario, aut Prorege; Quanto igitur minus *christus*, utpote quem *secundum* utramq; naturam omnisap. omnipræs. & omnipotentem novimus, indubiaq; fide credimus, Matth. 28, 20. &c. Deniq;, si omnino ad normam regnorum mundanorum Ecclesia sit exigenda, quare magis ad normam regni alicujus *Hispanienſis*, quam antiquissimi & florentissimi Regni *Galliæ?* in quo quæ Majestatis sunt, Rex sibi servat, & per semetipsum obit, vicarium, qui ipsius loco potestate vel absolutâ vel limitatâ universo regno præsit, nullum habet; magistratus autem ad jus dicendum & alios regni usus constituit varios pari ut plurimum potestate præditos, ut si secluso tantisper Rege curias Regni, gubernatores provinciarum & prætores urbium spectes, & hinc statum Regni (quod tamen non nisi per abusum & impropriissimè fieret) æstimes, Aristocratiam agnoscere oporteat. Neq; enim potestatem obtinet curia in curiam, gubernator in gubernatorem, prætor in prætorem, sed quisq; suo loco suæ provinciæ, suæq; urbis curam habere tenetur, & nemo quidem universum regnum, quisq; tn. quod cuiq; commissum est in universi Regni bonum & secundum leges regni administrare, rationem reddituri non alter alteri, sed omnes Regi, cujus omnes subditi sunt & ministri; Ad eum ferè modum externam Ecclesiæ gubernationem, quatenus eam ergà homines sensibiles sensibiliter exerceri oportet, non uni alicui Vicario Christus commisit, sed pluribus, ut, quod hanc ipsam externam gubernationem & disciplinam Ecclesiasticam attinet, non magis inter Ecclesiæ ministros aliquis reperiatur minister Monarcha, quam inter Magistratus Gallicos aliquis Magistratq; Monarcha. Quanquam contradictionē implicat, Magistratum vel ministrū esse,

esse, & Monarcham esse si quidem propriè loquamur & ritè, Verba sunt *D. calixti* in Exercit. de Visibili Monarch. Ecclesiast: §. 75. *Deinde* fatemur haud inviti 1. Cor, 12, 21. mentionem fieri capitis in Ecclesia in oppositione ad Christum; Sed de hoc non est quæstio. *Materiale* in Ecclesia *caput* concedimus: sunt illud ratione dignitatis *Apostoli* v. 28. & quotquot aliàs in Ecclesia eminent sub unico Ecclesiæ capite Christo: *Ecclesiæ* verò *caput formale* solus est Christus, is dicere potest pedibus, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω, non Apostoli, non alia quævis Ecclesiæ membra. Quod verò de *viro mulieris*, Christo viri, Deo autem Christi capite affertur, id prorsus est impertinens & ἀλλότριον. Transiliuntur enim hîc limites comparationis, nec in eodem tertio perseveratur, ac ipse proinde status quæstionis variatur. Non quæritur, utrum unum idemq; corpus sine *monstrositate* duorum *diversi generis* capitum capax esse possit, quorum unum sit *naturale*, alterum *metaphoricum*, & impropriè dictum: Hoc enim ultrò largimur. *Quæstio est de duobus capitibus unius corporis, in uno & eodem genere*; hoc absurdum esse constanter asseveramus: Nec hoc probant adducta exempla: Vir caput est mulieris, non *naturale*, sed *maritale*; Christus itidem viri, Deus Christi non *Physicum* sed *mysticum*: Atq; hinc nulla oritur *monstrositas*, nihil inquam, absurdi: oriretur a. si *mulieri duplex* caput *maritale*, *Viro* duplex *naturale*, *christi* duplex *mysticum* assignaretur: *Monstrum* igitur erit Ecclesia etiam, si duo ipsi *ejusdem generis* capita, mystica videlicet, quamvis subordinata adjudicaveris.

§. 17. Hactenus igitur Ecclesia per has exceptiones aut φλυαρίας potius tuas tuorumq; à *monstrositate* nō est liberata *Raynaude*. Excutiam igitur porrò distinctionem tuam *capitis* in *Aspectabile* & nō *Adspectabile*, sivè quod idem est *visibile* & *invisibile*, si vel hâc *monstrositatem* abs te posses amoliri

amoliri fortassis. Verum enim verò tantum profectò abest, ut hac ipsâ illam tollas, ut adaugeas potius, & immane quantum extollas. Si enim *monstrum* est corpus gemino visibili capite constans, quæso te *Raynaude*, qui non multò monstrosius fuerit corpus uno visibili, altero invisibili constans? Excute omnia Veterum pariter & Recentiorum Physicorum monumenta; Evolve omnes historicorum observationes; perquire Monstrologias *Weinrichii*, *Fortunii Liceti*, *Ulyssis Aldrosandi*, *Conr. Lycosthenis*, *christoph. Jrenæi*, *Plinii*, *Joh. Bapt. Portæ*, & quorum vis aliorum, deprehendes quidem naturam aberrantem edidisse aliquando fœtus bicipites visibiles, at v. fœtum uno visibili, altero invisibili constantem capite si prodiisse demonstraveris, herbam tibi lubens porrigam, victasq; dabo manus. Sic πφεαι φεύγων εἰς ἀνθεακίαν, κάπνον, εἰς τὸ πῦρ πεσὼν πίπτεις. Egregia certè monstrositatis declinatio! Sed hoc fortassis telum in me retorquebis, nec sine aliqua periculi specie: si monstrosum, *inquies*, est corpus, quod unum visibile, alterum invisibile caput habet, quid de te fiet ipso, *Monocephalias* assertor & Patrone? Dicis Ecclesiam esse corpus Christi mysticũ: *Ecclesiam* porrò partim *visibilem*, partim verò *invisibilem* esse doces: Utriusq; unicum *caput* esse contendis, Christum scilicet: Quod si igitur monstrosum est corpus uno visibili altero invisibili capite præditum, quantò magis monstrosum & absurdum erit corpus *visibile* cœtera, solius v. capitis respectu *invisibile*? Quis tale unquam vidit corpus? Produxitnè unquam natura istjusmodi? Sed noli triumphum ante victoriam! *Nego* terq; quaterq nego corpus visibile caput habens invisibile esse *monstrosum* vel *absurdum*; Non primò *monstrosum*: Esset n, tale, si id acceptares, vel ratione numeri, vel magnitudinis, vel unitatis, vel conformationis; Non hoc; neq; enim peccat in figura, nec in superficie,

cie, nec in situ, nec in aliis modis: Nec ratione unitatis, habent enim partes ejus debitam suam continuitatem & contiguitatem; Nec ratione porrò magnitudinis, habet n, justam suam decentemq; mensuram, nulla pars abundat, nulla deficit: nec deniq; ratione numeri (quæ species omnium optimè huc quadrat) corpus hoc visibile caput habens invisibile est deforme ac monstrosum. Caput enim habet verum ac genuinum, quamvis non visibile hic & nunc: Ergò non est monstrosum *in defectu*, In *Excessu* etiam tale non est: unicum enim ipsi caput assignamus saltem non plura. Quod si monstrosum porrò dixeris esse corpus visibile, invisibile habens caput, ceu contendit Panigarolla sect. 6. vide ne τὴν μίαν καὶ μόνην ἀληθῶς κεφαλὴν (ita Christum appellat Basilius in Ascet:) vel prorsus rejicias, vel naturaliorem nexum inter Papam & Ecclesiam, quam inter hanc & Christum esse statuas, quod utrumq; monstrosè blasphemum est. *Absurdum* porrò non est corpus visibile, cum invisibili capite: Fieri enim potest per naturam, ut caput abscondatur & non videatur: Ne in corpore quidem merè naturali perpetuæ veritatis est, quod semper actu videatur; Actu videri & non videri est accidens corporis externum, nequaquam verò interna & essentialis ejus proprietas. Corpora subtilia, qualia sunt aër & ignis visum nostrum effugiunt. Quæ in verubus assantur, ab eo quem videmus, igni non tanguntur, sed ab eo, quem non videmus; adeò verò tanguntur, ut etiam crementur, ait *Scaliger* Exerc: 9. Quod si igitur in corpore merè naturali non est perpetuæ veritatis, quod semper actu videatur, quantò minus in capite nostro Christo, inquam absurdum erit, quod sit invisibile, vel quod actu id semper nō videatur. Quoties ille ἄφαντος ἐγένετο, tam ante quàm post resurrectionem? At tum non minus quàm hodienum caput erat Ecclesiæ; Et absurdum tamen erit caput invisibile corporis visibilis? O

cœcas hominũ mẽtes! O pectora cœca! Quod si vero hoc vel maximè absurdũ foret aliàs, nondũ tn. sequeretur Ecclesiã à nobis reddi monstrosã eò, quod invisibile illi caput assignamus, *Raynaude*; Hoc saltẽ sequeretur, *Ecclesiam sicuti, qt. vera ac sincera, est invisibilis, ita invisibile etiãs sicuti v. qt. eadẽ ex fidelib9 & infidelib9 hypocritis aggregata visibilis est, caput visibile quoq; requirere; Cũ itaq; secundũ particulares tantum Ecclesias visibilis sit, cõpetẽt illi particularia tãtũ (nõ caput, sed) capita visibilia; universale v. visibile nullũ, cũ universa visib. non sit.*

§. 18. Vides, *Raynaude*, quid præstiteris hactenus: Monstrum fateor, Tricipitis Ecclesiæ *Anonymi* tui utcunq; repressisti, nec malè Ecclesiam corpus illud Christi mysticum à κεφαλία liberasti; Quorsum enim illa *Capitum* pluralitas? Quis tandem foret numerus Ecclesiæ capitum, si cuivis novum introducere impunè liceret? Tot certè forent demum *capita* quot sunt *sensus*; Tot *Petri*, quot *Patres* Sancti: Tot *Papæ*, quot *Provinciæ*. Utinam verò criminis illius ipse reus non esses, quod in *Anonymo* tuo redarguisti! Esse autem te, quis quæso dubitaret, qui judex non planè iniquus inter nos esse velit? *Monstrositatis*, inquam, ipse es assertor & Patronus, quam ægre fers ab aliis fingi & foveri: Corpus biceps *monstrum* esse ex verbis tuis probavi: Christum & Petrum bicipitem, adeoq; *monstrosam* reddere Ecclesiam demonstravi: Rationes, quibus excusare tuam *monstrositatem* conaris, infregi: Ipsis etiam illis argumentis, queis volebas adversario, te tibimet ipsi monstrositatem impingere, & ita tuo te laqueo capi, tuisq; configi telis indicavi: Non video quî id possis declinare, si Bicipitem pergis Ecclesiam tueri: Ergò vel hoc desine, vel de *monstrositate* convictũ temet esse agnosce, vel cũ tuberib9 propriis offendas amicos, verrucis *Anonymi* benevolè ignosce. *Sed de mõstrositate quãtũ opinor, satis; pergo itaq; ad alios tecũ arietes qui Bicipitem pariter & Tricipitem Ecclesiam evertere, & ab imis possunt fundamentis demoliri, & accedo ad*

PUN-

PUNCTUM III.

DE

Petri simul & Pauli exclusione à Capitis Ecclesiæ dignitate.

§. 1.

NOn sufficit tibi, quod absurditatis & *monstrositatis* sententiam *Lucifugæ* tui conviciisti *Raynaude:* quin fortius illum urges potius, ipsumq; ejusdem jugulum audacter porrò petis, ne quà fortè possit elabi aut contra obniti: Quod ut eò rectius assequaris, contendis *puncto IV. Disput:* tuæ: *Nullo unquam jure dignitatem Capitis Ecclesiæ Paulo competiisse, & idcirco isto nomine prorsus illum indignum esse.* Ita enim argumentaris: *Quicunq; nullas unquam partes capitis obivit, nullamq; exercuit functionem, ex quâ summam illam in Ecclesiâ regendâ authoritatem prodiderit, ille caput Ecclesiæ non fuit nec dici meretur;* Jam verò *Paulus nihil tale præstitit*, E. Est *argumentum* non nullius sanè roboris, nec video, qui vim ejus declinare possit *Pauli* sublimator & κεφαλαιωπιὸς. Consequentiam *Majoris* negare nullâ potest veri specie: Procedit enim à definitione ad definitum, à proprietatibus rei Essentialibus ad rem ipsam. *Minoris* etiam veritatem non potest infringere, quantum ex allatis colligo. Tales n. *functiones* & exercitia desideras, ex quibus indubitatò possit concludi, *PAULUM* Ecclesiæ universæ præesse, tanquam *omnibus fidelibus eminentiorem, eisq; in causâ fidei & sanctorum morum directionem infallibilem præstare ex Christi institutione & singularissima Spiritus S. assistentiâ ad metam usq; seculi non defecturâ.* Tales, fateor, non sunt istæ functiones, quas de *PAULO* producit *Anonymus.* Prædicatio sanè verbi, multarum scripturarum Canonicarum exaratio, sollicitudo pro

Notio Capitis Ecclesiæ nō competit S. PAULO.

Ecclesiis quamplurimis, imò omnibus, illustre pro Christo martyrium & ejusmodi plura possunt à quovis alio Apostolorum præstari, & præstita sunt pleraq; ab iisdem ferè omnibus. Nihil hinc igitur primatus ad Paulum seorsim. Nullum ex his *Capitis* Argumentum. Esto igitur *PAULUS* à dignitate Capitis Ecclesiæ seclusus, usq; dum fortiora de eo Argumenta produxerit *Anonymus*. Rectè hæc & alia obvertis ipsi *Raynaude*, & abs me merito suo comprobata, utpote, qui nihil magis desidero, quam *capitis* illius resectionem & abrogationem.

Nec à. PETRO. §. 2. Sed vide, quæso, quantum tuo *capiti* malum ipse denuò suas *Raynaude!* Vide quantum tuo rursum jumento tibi malum accersas: Nimirum, non posse te *TRICIPITEM Anonymi* Ecclesiam evertere, nisi tua simul *BICEPS* eodem concutiatur ictu, luculenter docuisti, & exemplis hactenus quamplurimis: Quæ *Paulino* primatui opponis, eadem opponis quoq; *Petrino*. Tanta est inter utrunq; conjunctio & æqualitas, ut alter sine altero nec deprimi nec extolli possit: Uno igitur eodemq; semper ictu *Petrum* pariter ac *Paulum* tuis etiã ingratiis decollas, deq; dignitate *Capitis* deturbas. Vin' id porrò demonstrem? Quidni? *Raynaude:* Libenter hoc & omne tibi militabitur bellũ in tuæ spem gratiæ. Initiò quidem extrà omnem inter nos cõtroversiam positũ esse existimo, quod nemo sit ac dici possit Ecclesiæ *caput*, nisi functiones capitis exercuerit, ejusdẽq; partes perfectè obiverit, Hoc n. ante ipsus asseveraſti, & *Anonymum* constringi posse non uno nec obscuro voluptatis indicio prodidisti: Quod si igitur *Petrum* nullam *capitis functionem* obiisse demonstravero, non vitio mihi poteris vertere, si *Petrum* pariter ac *Paulum* à dignitate *Capitis* Ecclesiæ sequestravero, teq; tuis iteratò telis cecidisse audacter pronuntiavero. Ut autem manifestiora fiant hæc omnia

omnia, dispiciendum prius paucis, quænam sint *partes Capitis* & munia, quidq; requiratur in & ab eo, qui nominis hujus vult esse particeps. Docet illud Analogia capitis humani, unde desumpta est hæc appellatio; ita ut necessum sit idem suo modo esse *Caput* Ecclesiæ, quod est *Caput* in corpore humano. Est hoc membrorum totius corporis nobilissimum, eò quod rationis atq; sensuum sedes est, inq; subjecta membra vitam, sensum, motum & omnia salutaria effundit ac dispescit. Adhæret præterea membris suis nexu amico & indivulso, prospicit saluti ac incolumitati sui corporis, noxia quævis ab eo arcet, & amico demum regimine universum illud, quaquâ patet, moderatur & regit. *Clarius & distinctius*: Caput est principium 1. *dignitatis* ac dominii mẽbrorũq; decus, quo modo Vir caput est mulieris. 1. Cor. 11, 3. 2. *donorum*, quo perunctо, oleum membra irrorat Ps. 133, 2. 3. *Motuum & sensuum* per spiritus animales excitatorum. 4 *defensionis ac salutis*. Ephes. 5, 23. 5. *Unionis & κατάρτισμῶ*. 1. Cor. 12, 12. Ephes. 4, 16. Hasce similesq; partes quas caput Physicum corpori, si Petrus suo modo Ecclesiæ præstare potest, ac reverà præstitit aliquando, nullam dico causam, quin Caput ille Ecclesiæ dici possit ac debeat. Verum n. verò tantum abest, ut *Petrus* illas unquam præstiterit, ut ad illas etiam planè fuerit ineptus: Quî enim ille mortalis ac miser homo functiones hasce capitis obire quæso potuit, *Raynaude!* Quî dominari rectè omnib9 un9, qui vix ac ne vix quidẽ sibi ipsi? Quî motum & sensum toti Ecclesiæ largiri, cui ille non præsens? Quî tueri eandẽ & defendere, ipse tam infirmus & meticulosus? Quî unire nexu spirituali ipse merè corporeus? Non ista *Petro* sed *Christo* competunt. Est hic, juxta utramq; naturam omnipotens, omnipræsens, omnisapiens, adeoque solus ad munia capitis obeunda & præstanda sufficiens. Et hinc solus Ecclesiæ CAPITIS ti-

tulo à Sp. S. exornatur. Nunquam hoc nomine dignatur *Petrum*; Στύλον, πρῶτον, μέγα λίαν Ἀπόστολον quidem illum appellat: Caput verò nusquam, nisi *Cephas* vi vocis idem esse quod κεφαλὴ absurdè dixeris.

§. 3. Sed hæc tibi planè sunt exosa & intoleranda *Raynaude*. Ægrè fers, si quid unquam & prorsus indignè *Capite* Petrum tuum diminui nec mirum; Non enim *Caput* est *cucurbitæ* de quo agitur, sed sublime illud ac sanctissimũ scilicet! Ecclesiæ vestræ: Omnibus igitur nervis contendis, ut sartum tectum illud conserves, suamq; ipsi dignitatem & authoritatem vindices. Quod ipsum ut obtineas, varias producis functiones à *B. Petro* passim exantlatas. *Functiones*, inquis, *complures, penes quas Petrum Caput fuisse deprehendimus, subministrant scripturæ. Nam & cum agendum fuit (1) de substitutione unius alicujus discipulorum in locum, de quo prævaricatus erat Judas; & cum (2) dandum fuit initiũ prædicationis Evangelii post acceptum Spir. S: & cum (3) tractanda fuit causa gentium circa observationem legalium, primæ semper fuerunt Petri partes, eiq; gravissimorum illorum negotiorum directio tanquam Præsidi, & capiti omnia moderanti incubuit.* Hîc reperisse te arbitraris non quod pueri in fabâ, *Raynaude:* Tam evidentia isthæc primatus & Ἀρχοντείας Petrinæ documenta censes esse, ut suprà nihil. Dicis enim aperte, *ex his liquere, primas Petrum, quod capitis est, semper gessisse, adeoq; Principem & caput cæterorum rectè dici.* Et hoc ita præstas, ut primò & seorsim *Paulo*, deinde reliquis etiam conjunctim *Apostolis* dignitate & potestate eum supereminuisse contendas. Examinabo paucis singula & quidem primò de subjectione *Pauli* ad *Petrum*, *Petriq;* supra *Paulum* principatu tecum agam. Hanc confirmare conaris ex *Pauli* testificatione. *Narrat*, inquis, *ipse B. Paulus.* Gal. 1, 18. *Se post annos tres à vocatione & conversione suâ, cursu prædicationis interciso adiisse Hieroso-*

Ex negotiis illis, quæ allegantur pro Petro, nulla capitis dignitas comparet.

Nec respectu 1. solius Pauli seorsim.

Hierosolymam, videre Petrum. Ubi 1. ex *Hieronymo* urges vo- *Ex loco Gal. 1, 18. de Profectione Pauli ad Petrum*
culam ἱστορῆσαι, quam dicis significantiorem esse quàm simplex τὸ ἰδεῖν, & usurpari de iis, qui magnas & splendidas urbes invisunt cognoscendi gratiâ: Admodum igitur magnificum spectaculum *Petrum* fuisse concludis, & argumentum agnitæ per *Paulum* summæ in Ecclesiâ dignitatis *S. Petri*, tanquam ipsius Christi *vicarii*: Deinde & 2 causam inquiris, cur *Paulus* à Christo ipso de cœlis immediatè vocatus Apostolus & eruditus gnaviter, tam sollicitè, nec absq; aliquæ sementis Evangelicæ incommodatione *Petrum* adiret. *Hieronymi* responsio tibi non satisfacit: *Non*, inquis, *explet animum, quod S. Hieronymus hanc S. Pauli ad Petrum profectionem accuratè expendens est arbitratus: nimirum factam esse ad honorandum Petrum, priorem Apostolum, in Cap. 6. ad Gal. Hoc si de nudâ temporis antecessione in Apostolatu accipiatur, nihil peculiare continebit, ob quod S. Paulus iter potius ad Petrum suscipere debuerit; cum ea ratio æquè militaverit pro omnibus aliis Apostolis, præ quibus ipse erat abortivus h. e. post omnes Apostolos Christo jam digresso, assumptus ad idem munus: Et tn. peculiariter* (ita pergis de sententia *Hieronymi* judicare) *ut S. Chrysostomus ibi observavit videndi solius Petri gratiâ se profectum, intercisâ Evangelii prædicatione testatur Paulus.* Sententiam porrò *Erasmi* quoque explodis, quem perperam ex Græcâ voce ἱστορῆσαι eruere dicis, profectionis illius consilium fuisse doceri à *Petro*: *Id enim disertè*, inquis, *rejicit ipsemet Apostolus, non ità multo post, cap. 2. cum ait, Primores Apostolorum ac ne ipsum quidem Cepham, cujus disertè meminit, nihil sibi contulisse, nihil se ab illis didicisse, propterea q; præmiserat cap. 1. Notum vobis facio, Fratres, Evangelium quod Evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem: Neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per revelationem Jesu Christi: Cum igitur ex revelatione eam doctrinam se hausisse certus esset, non licet fingere,*

gere, Paulum ancipitem circa doctrinæ, quam seminabat, certitudinem, voluisse idcircò Petrum adire, ut ab eo firmaretur in illiq doctrinæ veritate. Hæc omnia cum tibi non probentur, rejicis ac repudias. Postremum verò *Chrysostomum* producis, quem causam hujus profectionis *Pauli* ad *Petrum* omnium optimè explicuisse censes: *Uno verbo rem*, inquis, *attigit Chrysostomus. hom 87. in Joh. Os* (ait ille de Petro) *erat Apostolorum & Princeps & vertex ipsius cœtus. Propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit*; ad quæ verba ita commentaris: *Utiq; ut ab eo ore Apostolorum reportaret Oraculum, non ad suam eruditionem, sed ad habendam apud alios necessariam authoritatem ex confirmatione doctrinæ suæ per S. Petrum.* Quod ipsum autoritate *Tertulliani, Theodoreti, Sophronii* Hierosolymitani ipsiusq; *Augustini* confirmare satagis. Concludis deniq; tuum de hac Pauli ad Petrum profectione. judicium, his ferè verbis; *Hæc germana causa fuit, cur Paulus Petrum adiret, collaturus cum eo Evangelium, nè apud alios careret authoritate, quod S. Petrum probasse constaret.* Et post pauca; *Habemus ergò manifestè S. Paulum non pro capite Ecclesiæ & æquali fidei Magistro cum Petro se gerentem, sed demisse ad illum adeuntem, quasi susceptæ Discipuli Personâ, ut apud alios rata esset doctrina, quam tradebat, eo ipso, quod Petri Doctoris eminentissimi à Christo constituti calculus accessisset.* Hanc igitur Pauli ad Petrum abitionem luculentissimum de illius ad Petrum humillimâ subjectione testimonium esse censes & tantum non planè persvasus es, ac idem tecum *Bellarm.* de Rom. Pontif cap. 22. & *Baronius* tom. 1. Ann. 39. n. 5. 6. 7. aliiq; conplicum.

§. 4. Verum enim verò nihil tibi hîc certè nec seritur nec metitur *Raynaude*; Miror haud immeritò, quì fiat, ut ruinosæ cadaverosæq; tuæ causæ *de Principatu Petri* tam ineptos & ficulneos tibicines admoveas: Fortiora hîc erant & manifestiora afferenda argumenta, ut *Petri* dominatus supremaq;

premaque potestas evinceretur, & summa rei Christianæ, (ceu dicitur *Bellarmino* visibilis Ecclesiæ Monarchia) evidenter demõstraretur. Sed talia desunt vobis, ut solent desperatæ causæ patronis: Ne igitur nulla prorsus desint, hæc qualiacunq; necessariò erãt afferenda. Quæ autem isthæc, quæso te, consequentia *Raynaude*? Paulus ad Petrum *profectus* est: E. eidem *subjectus* est; Paulus Petrum desideravit ἱστορῆσαι: Ergo superioritatem & Primatum Pontificalem in eo agnovit? Quis hic nexus? Quæ cohærentia? Quid obstat, quo minus si illud procedit, sic etiam concludamus? *Petrus* ad *Samaritanos* profectus est, E. iisdem fuit subjectus. *Christus Mariam* & *Martham* invisit, E. suprematum in illis agnovit? Rex *Galliæ* ad Regem *Hispaniæ* aliquando abiit: Ergò subjectus ipsi fuit & potestate minor: Egregia meherclè illatio! sed hac de re plenius tecum agam; Nil te juvat. 1. illud ἱστορῆσαι, de quo gloriaris; sit illud significantius quam simplex ἰδεῖν: significet quandoq; observationem accuratam & diligentem, & excludat eam, quæ obiter fit, aut perfunctoriè, aut ὡδιπορικάδην: Certum tamen est esse vocem mediam, & ipsam per se neq; in bonum sumi neq; in malum. Liquet illud ex communi vocis acceptione & usurpatione apud authores passim. *Origenes* contra *Celsum* lib. 1. ἐγὼ ἱστορήσαμεν inquit, παῦτα ὁμολογεῖσθαι ὡδὶ τοῖς Ἰουδαίοις γεγονέναι: Non observavimus in confesso apud Judæos esse hoc fieri; in *Clementis* Epitome Act. Petri *Barnabas* ipsum *Clementem* alloquens, σὺ εἰ μὲν ἱστορῆσαι τὰ ἡμέτερα, καὶ μαθεῖν τὸ συμφέρον ἐθέλεις &c. Tu si nos ait, res q; nostras (sic reddente *Perionio*) videre cupis, & quod utilitatem affert discere: & de *Simone Mago* Nicetas ibidem αὐτὸ πράσσοντα ἱστορήσαμεν, ipsum inquit, facientẽ vidimus. *Plutarchus* Theseo, ἐδεήθη τὸ Πιθέως ἐλθεῖν, καὶ τὴν χώραν ἱστορῆσαι, h. e. interprete *Lapo*: Thesea oravit secum una proficisci, regionemq; invi-

 sere.

fere. *Euripides* in Helena: ὥσθ' ἱστορῆσαι τὰς δυσχλαινίας, ut spectaret mearum vestium sordes. *Georgius Gemistus* Ellenicon. 1. dicit Platonem venisse in Siciliam, ὅπη ἱστορία τῶν τε πόλεων καὶ πολιτειῶν τῶν ἐκεῖ, ut videret urbes ac respublicas, quæ illic erant. Hæc & alia exempla de vocis ἱστορῆσαι significatione satis apertè docere possunt: videlicet, quod non perpetuò accuratissimam ac planè singularem observationem importet, sed quamcunq; haud rarò: tantum abest, ut de magnifico semper spectaculo usurpetur aut honoris semper sit indicium. Venit igitur *Paulus* ad *Petrum*, ut eum inviseret, ut eum coràm intueretur, ut familiariter viveret cum eo aliquādiu, ut ex conversatione ejus de vita & moribus tanti Apostoli instrueretur, & oculis ista præsens usurparet, quæ auribus jam dudū acceperat de *Petro*. Quicquid verò sit hujo: Esto: Iverit *Paulus* ad *Petrum* tanquam *minor* quadantenō *ad majorem*, sit illud observātiæ & reverentiæ *Pauli* erga *Petrum* indicium haud obscurū; Colligatur porrò inde magna *Petri* dignitas & authoritas. Non repugno *Raynaude*: Libenter isthæc omnia tibi largior: Quin *Paulum* hac in re justa *Petro* fecisse & quem merebatur honorem exhibuisse, audacter asserо: Quidni enim *Paulus* accessu suo Petrum honoraret ac dignaretur? Erat ille πρῶτος τῶν Ἀποστόλων *primus* inter Apostolos, *primus* ætate, *primus* vocationis ordine, *primus* familiaritate Christi, aliisq; prærogativis admodum insignis, licet personalibus duntaxat: Jure igitur meritoq; agnovit *Paulus* aliquod in eo πρωτεῖον; aliquam πρωτοκαθεδρίαν, aliquem Primatum, nec importunè huncce *Petrinæ* πρωτείας sensum accessu amico declaravit: quid verò inde? *E. Paulus Petro* subjectus fuit. *E. Petrus* caput ac Princeps fuit *Pauli* & cæterorum Apostolorum. Ergo *Paulus Petrum* pro fidei Magistro, pro doctore eminētissimo à Christo instituto h. e. *Pontifice summo, Christi in terris Vicario*

Vicario agnovit? Itane concludes *Raynaude*? si quæ apud te *Paulinæ* dignitatis æstimatio, longè profectò senties secus: disertis ille verbis & iteratò profitetur se οὐδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλων: In nullo se minorem magnis illis Apostolis, quos inter dubio procul *Petrus* etiam; idem ille tantum quoq; sibi sumpsit, ut isti *Magistro* quem dicis, fidei & *Eminentissimo* Doctori in faciem restiterit, & de errore audacter illum accusaverit conviceritq;: Quod si hæc & alia subjectionis documenta sunt, non dubium est fateor, quin *Petrus* CAPUT ac MONARCHA visibilis fuerit totius Ecclesiæ!

§. 5. Sed de causa hujus accessus Pauli ad Petrum audi porro quid judicem. *Fateor primò*, ex merâ curiositate & lubidine videndi ἀθέσωτον modo Petri, non profectum fuisse Hierosolymam *Paulum*: Sequor in hoc haud immeritò *Hieronymum*, qui in Epist. ad Gal. c. 1. ita præit; *Non venit*, inquit, *Paulus Hierosolymam, ut oculos, genas vultumq; modò Petri adspiceret, utrum macilentus an pinguis, adunco naso esset, an recto, & utrum frontem vestiret coma, an, ut Clemens in periculis ejus refert, calvitiem haberet in capite.* Non enim puto, Apostolicæ fuisse gravitatis, ut post tantam Triennii præparationem aliquid humanum in Petro voluerit aspicere &c. *Fateor secundò* non ob solum honorem ei conferendũ ascendisse *Paulum*: poterat n. id alio modo & alio quovis tempore fieri, ità ut necessum non fuerit, nec verisimile videatur, propterea *S. Paulum* salutis animarum flagrantissimum, & zeli in conversione gentium ferventissimi, ministerium suum ad tempo deseruisse & Hierosolymam non brevi intervallo sejunctam petiisse. *Fateor tertiò*, non ut disceret ac informaretur à *Petro*, *Paulum* abiisse. Docet id *Hieronymus* l. cit. *Non discendi*, inquit, *studio ivit ad Petrum, cum eandem & ipse prædicationis habuerit authoritatem.* Idem sentit *Augusti.* *Causa hujus profectionis.*

in Epist. ad Gal. *Non ideo*, ait, *vidit Petrum, ut per ipsum disceret Evangelium: nam ante eum utiq; vidisset;* Consentit *Chrysostomus* in h. l. *non ut disceret aliquid ab eo, profectus est,* inquit, *nec ut correctionem aliquam acciperet.* Hæc omnia mihi pariter ac tibi non satis faciunt: multo verò minus, tua *quartò*, quam adfers ratio mihi probatur. Dicis, *ad habendam apud alios necessariam authoritatem ex confirmatione doctrinæ suæ per Petrum adscendisse Paulum.* Hæc ità pro more tuo *dicis*, sed non *probas*; proferre debebas, aut si potes adhuc profer authoritatis *Paulinæ* ob defectum comprobationis *Petrinæ* repudiationem: cedò qui fuerint isti *ALII*, apud quos caruit authoritate *Pauli* Evangelium, eò quod solum *Petrum* id non probasse constaret; demonstra Christum comprobationem prædicationis Evangelicæ à quocunque susceptæ ita in manus *Petri* solius resignasse, ut quicunq; doctorum solum hunc adiret, omnia, quæ docuisset aut doceret, pura & sana esse non dubitaret; Quin imò *Paulum* in hac persvasione fuisse proba: Hæc omnia pro concessis venditas, cum nemo sanus ea temerè admiserit. Authoritatem quidem quorundam pro te adfers: sed nosse debebas *rationibus* non *authoritatibus* certandum esse: Quin ipsæ illæ quas producis *authoritates* tibi non patrocinantur. Non *Tertulliani*: ille enim l. cit. lib. 4. contr. Marcion. cap. 2. non solius *Petri* sed omnium Apostolorum mentionem facit, *Adscendit*, inquit, *ad cognoscendos Apostolos & consultandos.* &c *Plurium* meminit, non *unius*: *Apostolorum* non *Petri*, Tu *pluralem* numerum, cum tibi non faveat, pro Authoritate tua, quâ polles, expũgis, & *singularem* substituis, an non fraudulenter? Non *Sophronii*: De μαθηταῖς n. ἰδίοις ibi loquitur, non de solo *Petro*; Τοῖς, inquit, μαθηταῖς ὑπεκλίνετο, τῆς μαθητῶν ἐγκώμιζε doctrinam suam, quam prædicabat. Nec id dicit in *Synodica* ad Honorium. 1. Talem enim nec in *Tomis Concilio-*

Conciliorum, nec seorsim reperire potui *Bellarminus* lib. de script. Eccl. in *Sophronio* refert quidem, extare duos ejus sermones, & Epistolam quandam Synodicam ad *Sergium Episcopum Constantinop.* in 6. Synod. Act. 11. At de Epistola ad *Honorium* ne ἓν quidem. Verba etiam ista, quæ allegas in Epist. illa ad *Sergium*, quem dixi, reperi *Tom. 3. Concil.* act. 11. sed ut dixi, *de Apostolis in universum*, non de *Petro* seorsim loquentia. Eodem modo loquitur *August.* l. cit. lib. 28. contr. *Faustum*. *Apostolorum* facit ibi mentionem non *Apostoli*, non *Petri* seorsim; Quid tuæ hinc causæ præsidii? *Theodoretus* etiam parum te juvabit; dicit ille quidem, *Paulum* ad Petrum cucurisse, non tamen necessitate aut singularis dignitatis aut eminentiæ intuitu, aut petendæ authoritatis causa id feciisse, sed communicationis desiderio & voto Ecclesiæ *Antiochenæ*, solutionemq; de contentionib. legalia instituta concernentibus quibus *Antioch.* Ecclesia turbata fuit quæ sivisse, non quod ignoraret, aut infallibili aliquo proponente corroboraretur, sed ut pluribus suffragiis communiret. Non video quid in hoc, & aliis Patrum dictis pro subjectione *Pauli* ad *Petrum* invenias patrocinii; Nemo sanè omnium ex hâc profectione *Pauli* ad *Petrum* illā concludit; *Quin* contrarium potius ex *Chrysostomi* in h. l. commentar; liquet; Cedro digna sunt illa ejus verba, ideoq; nō possum quin adscribā; Τί τάυτης inquit, ταπεινοφρονέστερον γένοιτ' ἂν τῆς ψυχῆς; μετὰ τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα κατορθώματα μηδὲν πέτρος δεόμενος, μηδὲ τῆς ἐκείνου φωνῆς, ἀλλ' ἰσοτιμῶν αὐτῶ; πλέον γὰρ ἁδὲν ἐρωτεῖ &c. h. e. Quid hoc animo possit esse modestius? Post tanta & talia benefacta, quum nihil opus haberet Petro, nec illiq egeret voce, sed HONORE ESSET PAR illi; nihil enim hic dicam amplius; tamen adscendit, tanquam ad majorem & seniorem, solusq; Petri conspectus permovit illum, ut eò proficisceretur, Viden' quemadmodum ILLIS tri-

fuit convenientem honorem. Neque solum non ducit se illis meliorem, verum ne parem quidem putat &c. Testatur hîc exsertè *Chrysostomus Paulum* in ipsâ illâ ad *Petrum* profectione fuisse *Petro* ἰσόλυμον, h. e. honore parem, & quidem ad minimum; Nam illud; πλέον γὲ ἀδὲν ἐρῶ πώς, vel nihil dum dicere amplius, indicat, potuisse aliquid de *Paulo* prædicari ultrà ἰσολυμίαν hanc; Quod verò ad eum tanquam ad majorem & seniorem proficiscatur, id dicit modestiæ ejus adscribendum singulari; Et ex hâc non *Petro* modo, sed & reliquis *Apostolis* congruentem honorem tribuit; ὁρᾷς, πῶς τὴν πρσσήκουσαν αὐτοῖς ἀπονέμει τιμὴν, ait *Chrysost.* Quinimò non ad *Petrum* modo, sed & ad *Jacobum* ὡς πρὸς μείζονα καὶ τιμιώτερον ingressum esse *Paulum* memorat ibidem. Aut igitur *Jacobo* etiam subjectus fuisse dicendus est *Paulus*, aut *Petro* nullatenus inde & ex eo, quod ad illũ ceu majorem & honoratiorem profectus fuit *Paulus*. I nunc, & gloriare de consensu *Patrum Raynaude*: I nunc & posthac *Anonymum* tuum mendacii & impudentiæ accusa, si fortè *Patrum* scripta perperam allegavit. Turpissimum est *Patribus* affingere quæ non dixerunt, & ea ex illis allegare, quæ apud illos nõ comparent: Hæc verba adversus *Anonymum* tuum direxisti *punct.* 9. n. 18. seqq. Hæc resorbe, & parcius ista viris imposterum objicienda memento; nosti illud, Turpe est Doctori, cum culpa &c.

§. 6. Hactenus igitur nullam idoneam produxisti causam profectionis *Pauli* ad *Petrum*. Quid ergò tandem causæ fuerit, cur Apostolus à *Christo* ipso de cœlis immediatè vocatus & eruditus tam sollicitè *Petrum* adiret? Dicam tibi verbo, quod res est; *fecit* hoc ut securitatem sibi præstaret à calumniis falsorum Doctorum, ac si contemptior esset, quam ut inter Apostolos τὰς δοκὰς auderet comparere, ceu ex præcedentibus colligere est: *fecit*, ut illis, qui per doctrinam

ctrinam ejus scandalizabantur, persuaderetur, nullam in prædicatione discrepantiam, sed dispensationem esse, quod circumcisio permitteretur, quæ Oecumenii verba sunt: *fecit*, ut ostenderet præcessoribus suis, nō se in vacuum cucurisse, sicut putaverunt ignorantes, quod censet *Hieronymus*. *Fecit*, ut Ecclesia facilius & suavius induceretur ad fidem habendam, quæ alias per aliquot jam annos Pauli verba acceperat: *fecit*, ut ex *Petri* aliorumq; conversatione cognosceret, num illi pergerent ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τῦ εὐαγγελίυ. Certus erat ipse de doctrinæ suæ veritate, ita ut non indigeret αὐθεντίας & confirmationis Petrinæ accessione, quin imò tam certus erat de ista, ut si etiam Angelus ἐξ οὐρανῦ Evangelizaret aliter quam ipse, Anathema ipsi denuntiaret Gal. 1, 8. Ad aliorum igitur doctrinas attendebat in hoc etiam itinere suo, ut veras confirmaret falsas autem corrigeret & emendaret, idque citra πρόσωπολημψίαν ipso *Petro* non exempto, cui haud multò post κατὰ πρόσωπον ἀνθίστη in faciem resistere non est veritus. Quæcunq; verò præter has causæ fuerint hujus *Pauli* ad *Petrum* profectionis, hoc certè manet, ob confirmationem doctrinæ *Paulinæ* per *Petri* & ejus quidem solius authoritatem eam non fuisse institutam; Hoc enim nec probatum hactenus est, nec probari facilè poterit. Hactenus igitur in asserendâ *Petri* πρωτοσία & Principatu nihil præstitisti *Raynaude*. In profectione hac Pauli ad Petrum nihil tibi præsidii esse vidisti. Nimis igitur liberalis est illatio quam formas th. 12. *puncti* hujus 4. dum audacter pronuncias: *Constat igitur de Pauli à Petro dependentiâ, unde disparitas utriusq; & inæqualitas fit manifestâ*. Tuis fortè oculis isthæc sunt manifesta & clara satis, at meis certè nimis obscura: fateor: sum paulò infirmior unō multorum: *Chrysostomi* etiam de *Petro* Encomia, (qualia sunt: *Orthodoxæ fidei Principium, Magnus & illustris Ecclesiæ Sacerdos, necessa-*

necessarius Christi Consiliarius) nullam ei lucem fœnerantur? Ex his enim, ea, quam intendis, Pauli ad Petrum subjectio non infertur & si inferretur, *Petri* etiam ad *Paulum* subjectio foret evicta, cum iisdem ille Encomiis exornetur, de quo infrà plurib. Et tantum de subjectionis *solius* Pauli ad *Petrum*, *Petrique* supra *Paulum* Principatus vanitate.

Nec respectu omnium Apostolorum.

§. 7. Sequitur ut de *Apostolis* in universum *omnibus* agamus, & quo porrò jure istorum Caput & Princeps *Petrus* dicatur, dispiciamus. Non posse isti hoc nomen & hanc dignitatem non competere ex gravissimis quibusdam *negotiis* liquere censes, quorum illi tanquam præsidi & *capiti* omnia moderanti, directio incubuit, primæque semper partes fuerunt. Hæc satis eleganter & speciosè jactas: Videamus autem ista negotia singula seorsim, ut quam verè ita glorieris, appareat. *primum negotium* ais, esse Electionem aut substitutionem unius alicujus discipulorum in locum, de quo prævaricatus erat Judas. Hîc summam illam in Ecclesiâ regendâ authoritatem prodidisse Petrum; Hîc capitis obviisse partes: Hic primas egisse; Hîc præsidem & caput omnia moderans *Petrum* fuisse audacter asseris: Idem facit *Baronius* tom. 1. Annal. A. C. 34. n. 234. seq. *Bellarminus* de *Rom. Pontif.* L. 1. c. 22. §. 1. seqq. *Salmeron* Comment. in N. T. t. 12. tr. 9 *Lorinus Corn. à Lap. Casp. Sanchez. Arturus Pizæus* in h. l. *Stapletonus* in Antidotis in Acta h. l. aliiq; Verum si quid in capite tuo cerebri supereſt, non credo ex omnibus hisce *Petri* in hoc loco & negotio actis, *Petrum* caput & principem Ecclesiæ dici debere concludes. Locus est, quem indigetas, Act. 1, 15. seqq. Ubi nihil aliud de Petro deprehendo quam eum ἀναστάντα ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν collegas, & quotquot aderant ἄνδρες ἀδελφοὶ, allocutum, ac de successore in locum *Judæ* surrogando consilium dedisse. Hoccine sufficit ad *capitis* Ecclesiæ constitutionem? Nullas hic *præsidis*, nullas

Non ex negotio 1. Act. 1. de elect. Apostoli.

nullas *directoris* partes penes *Petrum* hîc deprehendo. *Bellarminus* quidem l. cit. *Petrum* tanquam Patrem familias convocasse & collegisse in unum cætum discipulorum dicit, sed nullam ex textu profert probationem, nec certè potest: *Lucas* tantùm asserit, discipulos habitasse unà: Et quum introissent in urbem, ascenderunt, *inquit*, in cœnaculum, ubi commorabantur. *Et paulò post*: Hi omnes perdurabant concorditer in Oratione & deprecatione: Congregationis igitur seu congressus hujus causa eadem est, quæ congressuum aliorum ἐν ταῖς ἐκείναις ἡμέραις institutorum, motus scilicet proprius, & liberrimus consensus à Sp. S. in ipsis confluentibus excitatus, in necessitates Ecclesiæ afflictæ & periclitantis intentus, flagrans desiderio eventuum & promissorum. *Bellarminus* igitur utrumq; assuit de suo dicens, *Petrum* & collegisse discipulos, & collegisse tanquam *Patremfamilias*. Quanquam posterius non adeò vitiosè, si commodè accipiatur. Certum est quidem, solum Christum propriè οἰκοδεσπότην, s. Patremfamilias esse in Ecclesiâ, cujus Apostoli sunt οἰκόνομοι: Verumtamen, quia οἱ οἰκόνομοι in multis partes tuentur Patrisfamilias, tolerari potest, qui dicat, eos, quæ sui muneris sunt exequi, tanquam Patresfamilias; h. e. ac si essent, id quod revera non sunt: Nec iste honor *Petro* peculiaris, sed eidem cum reliquis Apostolis communis. Nullus igitur inde Petri Principatus Ἀρχοντικὸς deduci potest. Et quid quæso inde dignitatis ac potestatis peculiaris ad *Petrum*, quòd negotium de Electione in hoc cōventu proposuit? sanè in omni deliberatione oportet aliquem esse, qui, quæcunq; cæteri deliberare cupiunt, proponat: proponebat hîc Petrus, quod omnes Apostolos & Discipulos Christi urgere noverat. Volebat ipse, volebant omnes, ut Collegium illud, in quo ipse erat, in emolumentum gregis dominici redintegraretur. Ipso igitur vel maximè

ximè hac de re silente, alius quivis discipulorum potuisset surgere, & de negotio hoc mentem suam, aut Sp. S. potiùs proponere. Sollicitudo igitur *Petri* hinc apparet pro grege sibi commisso, sed *non soli, nec solius*. Quo modo igitur id ipsum peculiaris potestatis argumentum esse potest? Ridiculũ est quòd *Salmeron* in comm. h. l. ex eo præsidẽ & Caput hujus Synodi fuisse Petrum concludit, quod *steterit in medio discipulorum* s. ut ille id explicat, Christi personam gesserit: Quasi verò illa στάσις ἐν μέσῳ Primatus semper argumentum sit! Quod si verum, & puero isti Matth. 18, 2. & Marc. 3. ἀνθρώπῳ ἐξηραμμένην ἔχοντι χεῖρα, & *Paulo* ipsi Act. 27. Primatus debebitur, cum omnes isti in medio stetisse loc. cit. legantur. Longè igitur aliud phrasi istâ in medio esse aut stare denotatur ex usu scripturæ: Agnoscit illud ipse *Casp. Sanctius* ad h. l. p. 27. qui idem illud esse dicit, quod est, τὸ *Esse inter aliquos*. Est igitur & dicitur ex usu perpetuo scripturæ In medio stare, qui in cœtu aliquo actu quodam se conspicuum exhibet, reliquis adspectantibus. Jam tantùm abest, ut dignitas aliqua ac autoritas peculiaris hâc phrasi denotetur, ut ipsis etiam διακονῦσι s. ministrantibus tribuatur, ceu constat ex Luc. 22, 27. Nullum deniq; confirmationis aut decisionis *Petrinæ* in hoc negotio indicium ex hoc loco comparet. Tota *Synodus* hic fuit occupata, non solus *Petrus*. Omnes quotquot erant congregati, ἔστησαν δύο, Josephum & Barnabam: Omnes προσευξάμενοι εἶπον. 23. Omnes ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν. v. 26. Communi sententiâ & confirmantibus omnium votis suffragiisq; *Matthias* allectus & adjunctus fuit XI. Apostolis, atq; ita in Collegium Apostolicum receptus. Nihil ergò in hoc loco præsidii tibi *Raynaude*, pro Visibili tuo Ecclesiæ Capite: Nulla hinc *Petrinæ* Ἀρχοντίας argumenta desumi possunt: Nullius hîc præsidis, Capitis, directionis mentio: nullas functiones,

penes

penes quas *Petrum* Caput fuisse dicis animadverto: Quin, (ut hoc vel maximè addam) omnia isti prorsus contraria: Non, inquam, fuit Petrus id temporis Caput Ecclesiæ, ejusdemq; Visibilis Monarcha, Christiq; vicarius; quod ex hoc textu apertè liquet: si enim *Petrus* fuit tum temporis Ecclesiæ caput, habuisset procul dubio infallibilem Sp. S. assistentiam: Loquor ex vestris hypothesibus & ex vestrûm omnium communi sententia, qui tàm arctè hæc jungitis, ut divelli etiam nunquam posse hanc ab illo apertè profiteamini: Jam verò id temporis non habuit Infallibilem Sp. Sancti Assistentiam *Petrus*. Probo: quia potuisset alioquin determinare, quisnam ex duobus illis *Barnaba* & *Matthia* ab Ecclesia denominatis ad Apostolatum evehendus esset: Hoc autem non potuit: si enim potuisset ad sortes sanè nunquam fuisset deventũ: Imò sortes sic prorsus illicitæ fuissent: Temerarium enim est ad extraordinaria media recurrere, sicubi supersunt ordinaria: Ergò, quod ex præmissis sponte suâ sequitur, *Petrus* peculiarem Sp. S. assistentiam non habuit: Ergò author, Præses, definitor & confirmator hujus Synodi ne quidem esse potuit; Ergò nec *Caput* Ecclesiæ visibile: Et hoc est, quod operosè contendo. Autoritates Patrum *Chrysostomi* imprimis & *Oecumenii* non est quod hîc nobis cum *Bellarmino* obvertas: *Ordinis* equidem & *dignitatis* etiam alicujus primatus *Petrinus* inde conficitur, non verò *potestatis* ac *jurisdictionis*. Et istum non improbamus: De hoc verò disceptamus. Disertè hunc negat *Chrysostomus*: ὄφελ, inquit, αὐτὸν, μετὰ κοινῆς πάντα πιθάνα γνώμης: αὐτὸν sc. *Petrum*, ἀδὲν αὐθεντικῶς, ἀδὲν ἀρχικῶς. Idem facit *Oecumenius* dum addit prioribus illud: οὐκ ἀρχικῶς ἀδὲ μετ' ἀσίας. Viden' quam in primo negotio nullas CAPITIS, partes obierit Petrus? Viden' quam in cassum hîc labores, *Raynaude*, dum Principatum Petri ex hoc scri-

pturæ loco ſtabilire allaboras? Pergam tecum ad cætera quæ affers, ut & illa nullas tibi ſuppetias ferre conſtet.

Nec ex negotio 2. Act. 2. de primâ Petri prædicatione.

§. 8. *Alterum negotium* cujus directio *Petro*, tanquam *Præſidi* & CAPITI omnia moderanti incubuit, *dicis* fuiſſe, *Cum dandum fuit initium prædicationis Evangelii poſt acceptum Sp. S.* Alludis nî fallor ad illud Actor. 2. 14. ſeqq. Ubi dicitur: Σταθεὶς Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα, ἐπῆρε τὴν φωνὴν αὐτοῦ καὶ ἀπεφθέγξατο αὐτοῖς &c. Enimverò, non video, *Raynaude*, quid ex hoc roboris tuæ ſententiæ accedat. *Video* quidem *Petrum* ſurgentem & ad auditores ſuos Orationem elegantiſſimâ diſſerentem: *Video* eundem ſanctiſſimo ferventiſſimoque zelo Chriſtum prædicantem: *Video*, tàm feliciter eum concionantem, ut τῇ ἐκείνῃ ἡμέρᾳ ψυχὰς ὡσεὶ τρισχιλίας lucratus fuerit Domino: ſed quid inde quæſo tibi commodi? Ubi hîc pro *Capite* tuo viſibili documenta? Miror quod in re ſeriâ tantâ levitate ludas ac tergiverſeris. Aut planè nihil, aut hoc concludes ex hoc loco, *Petrum* Caput ac Principem eſſe Apoſtolorum, eò quod primus prædicaverit Evangelium, quod fecit *Bellarminus* & *Rodericus Arriaga* Tom. 5. diſput. Theol. in 2. 2dæ *Thomæ* c. 8. v. 73. Quod ſi facis, toto profectò cœlo erras. Nam *nec* primus prædicat *Petrus*; dum Act. 2. prædicat; *nec* ſi vel maximè id feciſſet, ullus tamen exindè ad *Petrum* Primatus redundat: *Non illud*; quia ante eam *Petri* Orationem *Lucas* teſtatur Apoſtolos loquutos eſſe linguis, adeò ut obſtupefecerint omnis generis homines, quotquot aderant. Quid verò loquuti niſi Evangelium? Dicuntur enim loquuti, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι, nec aliud niſi μεγαλεῖα θεοῦ. Quod ſi ergò non primus loquutus de Evangelio: Ergò nec primus prædicavit: Poſſet quidem dici, ſermonem hîc eſſe de publicâ & univerſali promulgatione Evangelii, quæ ad omnes in univerſum facta ſit, non qualicunq; privata: Hanc reliquis

Apoſto-

Apostolis, *à Luca* assignari; illam verò *Petro* seorsim competere: sed unde illud constat? Ubi distinctionis hujus fundamentum? Non erant isthæc nudè & ἀπὲρ γραφῆς asserenda, sed ex scripturâ, locisq; hujus circumstantiis evidenter adstruenda: Sanè si prior ista Apostolorum prædicatio publica non fuit, Ergò nec posterior solius *Petri:* Idem n. utrobiq; fuerunt auditores; Idem utrobiq; Evangelium; nulla inter illas differentia, nisi quod isthîc plures, hic solus *Petrus* locutus legitur. Et hic non primus omnium, sed *primus* cum *primis.* Esto autem; Prædicaverit, inquam, *Petrus* primus omnium, Christiq; manifestaverit Resurrectionem glorioſam: Quid hoc ad Primatum Ἀρχοντικὸν & suprematum Pontificalem? Non *Petro*, sed *Mariæ* assignandus erit hic, si quævis hujus sequelæ: Hæc n. *prima* omnium de Christi Resurrectione prædicavit: Huic igitur iste deferatur, aut à primâ prædicatione ad suprematum illatio deferatur. Rectè *Chrysostomus* tom. 4. in Acta: *Os*, inquit, *cæterorum erat Petrus:* παρεσήκασι γὰρ οἱ ἕνδεκα μαρτυρῶντες τοῖς λέγουσιν: significat hoc ipso cæteros omnes, & unumquemq; istorum aut voluisse aut certè potuisse eadem dicere, quæ dicebat *Petrus:* Verum quia non oportebat omnes pariter sermocinari, idcirco concesserunt ei Orationem, hoc est, ut nomine eorum concionaretur. At, qui hoc modo Os dicitur, is nihil habet in illos, quorum Os est, Imperii ac Jurisdictionis. Nam & *Aaron* erat *Mosi* לפה, non in. propterea erat ejus Ἄρχων, quin ipse Moses Aaroni erat לאלהים ceu constat ex *Exod.* 4. 16. Ergò & alterum, quod affers, pro stabiliendo Petri suprematu, negotium prorsus est ineptum & ἀλλότριον.

§. 9. Nec hilum profectò concinnius *Tertium* illud, quod contigisse dicis cum tractanda fuit causa gentium circa observationem legalium Act 15. Nullum mihi in toto *Nec ex Negotio 3. Act 15*

hoc contextu, pro CAPITE tuo Visibili, quantumcunq; etiam laboraveris, idoneum ostendes argumentum *Raynaude;* Ego tibi contrà quamplurima sine negotio, quæ illud præcipitant ac prorsus demoliuntur: Primum quod tibi propono, ut rem in pauca conferam, hoc est: *Si Petrus functiones CAPITIS in hoc negotio s. Concilio, summiq; Pontificis partes obivit, Ergò ejus fuit 1. Indictor & Convocator. 2. Præses & Director. 3. Decreti autor sententiæq; lator:* Has enim Capitis Ecclesiæ functiones partesque inseparabiles esse operosè contendit *Bellarminus* lib. de Concil. *At nec hoc, nec illud, nec istud præstitit ibidem Petrus. Ergò Capitis functiones, summiq; Pontificis partes hîc non obivit:* Probo singula strictim. Primò non indixit hanc Synodum *Petrus*: quia nulla ejus in textu comparent vestigia: Audacter quidem id affirmat *Salmeron* comm. in h. l. dum ita infit: *Cujus fuerit autoritate ac jussu Synodus hæc coacta, in dubium vocandum non est: Aderat enim Petrus supremus Apostolorum Coryphæus, cujus unius, & successoris ejus autoritate Concilia generalia congregari possunt tantummodò!* Hæc satis impudenter *Salmeron:* Quasi verò in verba ejus jurassemus, eaq; tanquam cœlo delapsa acceptare teneremur, quamvis nullis suffulta rationibus! Modestior est *Bzovius:* Hic enim, quamvis in *Pontifice suo Rom.* autorem & Convocatorem Conciliorum solum Papam asserere nitatur, hunc tn. locum Act. sc. 15. Exempli & probationis loco afferre non audet, convictus credo tacitè, quod nec vola nec vestigium Indictionis & Convocationis Petrinæ in isto compareat ullibi. Et hoc cùm ita se habeat, cur soli *Petro* exercitam hanc potestatem convocatricem assignaremus? Cur non *Jacobo* potiùs aut *Paulo*, aut *Barnabæ?* Non video quid obstet, quo minus his vel aliis Apostolis, vel omnibus in universum Discipulis & fratribus illud tribuatur, cum omnibus ex æquo potestas illa competat: Quin

lon-

longè profectò verisimilius est, consessum istum Hierosolymitanum à *Paulo* & *Barnaba* tanquam Ecclesiæ *Antiochenæ* legatis excitatum fuisse, & more institutoq; usitato Apostolis jubentibus congregatum, quam *Petrum* peculiarem quandam in eo convocando jurisdictionem exercuisse. Et in hac nos sententia manemus, usque dum contrarium ex contextu fuerit evictum, quod fiet ad Calendas, ni fallor, Græcas. *Ulterius* & 2. nec *Director* etiam seu *Præses* hujus Concilii fuisse *Petrus* legitur: Ipsi inter se super hac re nondum transegerunt Pontificii: *Bzovius* quidem de P. R. c. 9. *Bellarminus* l. 1. de P. R. c. 11. *Pizeus*, *Lorinus*, *Sanctius*, *Corn. à Lap.* *Lintrensis* & alii comment: in h. l. id quidem affirmant & tuentur mordicùs; sunt tn. inter illos quibus alia mens est. *Alfonsus* sanè *de Tostato* Episcopus *Abulensis* in c. 17. Matth. quæst. 13. Resp. ad 1. censet *Jacobum* quasi Episcopum *Hierosolymit.* huic præfuisse concilio, & quasi majorem *Petro*, definitivam pronunciasse sententiam. Imò *Rubertus Tuitiensis* in Cant. 1. existimat *B. Mariam* Virginem quasi *Magistram Apostolorum*, huic præsedisse concilio, non quod ipsa concilio interfuerit (hoc n. fœminam non decebat) sed quod privatim consulta ab Apostolis prima sententiã hanc edixerit. Pleriq; tamen & præstantissimi quiq; Dd. Pontificiorum *Petro* præsidentiam Concilii hujus & Directionem tribuunt. Quod ne gratis fecisse videantur commenti sunt rationes quasdam, quas collegit *Bellarminus* l. cit. *Primam* desumpsit ab *autoritate Hieronymi.* Sed hæc frustrà in subsidiũ vocatur: Nunquã n. dixit *Hieronymus Petrum* huic Concilio præsedisse: Hæc tãtum sunt ejus hâc de re verba in eâ, quæ XI. est inter Epistolas *Augustini: Non ignoravisse Petrum*, inquit, *Principem hujus decreti, legem post Evangelium non esse servandam:* Hîc *Principem* decreti esse nihil aliud est, quàm *primum, & primo loco decretum illud suo suffragio propalasse*, ac in

ac in sententiã Petri post iviſſe Jacobũ cæterosq; Præsbyteros: sanè siquis ex solâ voce PRINCIPIS præsidẽtiã, directionẽ aut dominiũ vellet concludere, is vim & usum vocis hujus se non satis intelligere hoc ipso proderet. Non enim solum apud puriorem Latinitatem, sed & in sequiore simpliciter *primum* eam denotare manifestum est; Testis esse potest Lucretius: Quæ Patrio *Princeps, canens,* donavit nomine Regem: *Et alter ille Poëta Augusto coævus:* Libera per vacuum posuit vestigia *Princeps*, i. e. *primus*, ut in superiore versu *prima*. Ita *Romulus Ciceroni Princeps* i. e. primus creator Urbis dicitur. *Idem de provinciis Consularibus*, Ac si princeps, *inquit*, eam sententiam dicerem, laudaretis profecto: si solus, ignosceretis: *In eadem Oratione & Principem* Civem dixit pro *primo*. Inde & *Princeps Senatus Romæ* qui in municipiis primus curiæ: item *Princeps Equestris* ordinis *primus* ejusdem dicebatur. Nec aliter usurpata hæc dictio posterioribus seculis, quæ *Principes officiorum* vocarunt, qui & *priores* & *primates* vel *primores* officiorum etiam dicti sunt; ita Græci & τὸ ἄκρον aliquando sumunt; dum ἄκρην νύκτα nominãt *primam* noctis partem, & ἀκρονυχῶς oriri ac occidere signa dicunt, quæ *primâ* parte noctis oriuntur aut occidunt. Ita & ἄκρον ξίφος de primore gladii parte & summo mucrone; quod pluribus exemplis inter alia declaravit CL. *Salmasius* de Prim. Papæ cap. 3. pag. 38. Unde liquet non de *jurisdictione* aut *præsidentiâ* loqui *Hieronymum*, sed de *ordine*, dum *Petrum* dicit *Principem hujus decreti*; & propterea causæ *Bellarminianæ* nullatenus patrocinari. *Altera*, quam pro *Petri* Præsidentia affert ratio, nihilo magis ipsum juvat: Dicit *Petrum primum surrexisse & loquutum esse*; Sed unde hoc constat? Ubi id tradit *Lucas? Bellarmini* id est & *Bzovii* commentum, non scripturæ assertio: surrexisse quidem *Petrum* memorat *Lucas*, primum verò surrexisse vel postre-

mum.

mum, ne verbo quidem tradit: Imò, nec obscurè contrarium. Dicit enim tum demum surrexisse Petrum πολλῆς συζητήσεως γενομένης, cum multa disceptatio fuisset, v. 7. capitis hujus 15. Quo ipso quid aliud quæso innuit, quam ante *Petrum* surrexisse alios, & pro more stantes locutos fuisse? Non potuit enim disputatio fieri multis loquentibus: si ergò surrexit *Petrus* factâ jam vel existente disputatione, non potuit sanè *Petrus* primus surrexisse ut loqueretur, præsertim, si verum est, quod *glossa ordinaria* hic conjicit, disceptationem inter judices hîc fuisse; & *Dionys. Carth.* comm. h. l. quod, *inquit*, surrexit *Petrus*, ad reverentiam cœtui, in quo erant Apostoli præsentes, exhibendam & ut tantò melius ex audiretur, referendum est, quod notat etiam *Lorinus* in h. l. Nihil igitur agit *Bellarminus* & quotquot ipsum sequuntur, dum Præsidentiam & Directionem hujus conventus s. Concilii *Petro* defert. *Denique 3.* non fuit *autor* solus *Petrus* hujus *Decreti*, nec *sententiæ lator*, nec *Definitor* hujus quæstionis: De hoc enim altum in textu rursum silentium. Dixit quidem *Petrus* sententiam illam, in quam decretum factum est, dum pōderato quæstionis momento ex iis fundamentis in eam sententiam pronunciavit, quæ causam dedit decreto, sed hoc non est propriè decretum ferre, nec præsidentiæ alicujus indicium. Accedit quod post datam hanc Petri sententiam de hoc negotio, *Jacobus* surgens suam quoque dixerit sententiam, quod post decretum fieri non consuevit: Imò in illa *Petri* verba decretum prorsus non fuit factum: Nihil enim in illis de *Idolothytis*, *suffocato sanguine* & *scortatione*, quæ capita fuerunt Orationis *Jacobææ*. *Jacobo* igitur potius, quam *Petro*, si quis in hac Synodo fingendus, debebitur primatus, ut qui *Petri* sententiam restringat additione eorum quæ posteà observanda, cujus etiam posteà, non *Petri*, verbis decretum perscribitur. Atq; ex

his, quæ hactenus ad locum hunc Act. 15. adducta sunt, evidenter constat nullas CAPITIS partes in hoc Concilio *Petrum* gessisse, nullasq; summi Pontificis, Rectorisq; Ecclesiæ Universalis functiones exercuisse. Vides igitur, quam & hoc postremum tibi non faveat Negotium, *Raynaude*. Vides quàm temerè & inconsultò id pro tuo Capite alleges. Imò verò tantum abest ut tuum illud *Visibile Caput* ab hoc negotio synodali suffulciatur ac sustentetur, ut planè etiam convellatur ac præcipitetur. Et hoc alterum est, quod ex hoc loco tuæ sententiæ de Primatu *Petri*, Visibiliq; Ecclesiæ Capite obverto argumentum.

§. 10. Res omnis erit manifesta, si ad causam saltem materialem hujus Synodi respexerimus. *Fuit illa inter alias* (quæ v. 20. capitis hujus 15. *Actor.* recensentur) *Pauli præcipuè cum præsentibus Apostolis conciliatio, & circa administrationem Apostolici officii transactio.* Videre id est ex Epistolâ *Pauli* ad *Galat.* 2, v. 2. 6. 7. 8. 9. 10. ubi *Paulus* ait; *Adscendi Hierosolymam & exposui Evangelium illis, quod prædico inter gentes, sigillatim τοῖς δοκοῦσι, ne fortè in vanum curram aut cucurrerim: Ab iis autem qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea refert. Deus personam hominis non accipit. Mihi etiam, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, sed econtrà cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis* (*qui enim operatus est Petro Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes*) *Et cum cognovissent gratiam quæ data est mihi, Jacobus, Cephas & Johannes, qui videbantur στῦλοι εἶναι, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi in circumcisionem Evangelio fungeremur* &c: Ex his Actis Synodicis (verba sunt incomparabilis nostri *Dorschei* in aureis ad Act. 15. notis quas inseruit *Synodolog.* suæ f. ad Synod. Hierosolymit. 3. n. 6.) Theologi evidenter deducunt *in Synodo hac conclusam fuisse æqualitatem*

litatem Apostolorum, tum in respectu ad Paulum, tum inter sese. Unde manifestè *Petri* suprematus s. Potestas in Ecclesiam Oecumenica concidit. Ac de *æqualitate* quidem *inter Paulum, Jacobum, Petrum & Johannem* (ut summatim loquar) docent acta synodica, dum in iis dicit *Paulus* 1. Ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶναί τι τοῦ ποίοί ποτε ἦσαν, οὐδέν μοι διαφέρει &c. sensus est, inter se & δοκοῦντας ex Apostolis nullam esse διαφορὰν: nullatenus sua interesse, quantivis sint pretii & fastigii, se ab illis nequaquam dependere, juxta *Thomam Aquinat.* in explanati hujus loci lect. 2. *Dicit Paulus* 2. Ἐμοὶ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο. Q. dicat, inquit *Thomas* ibid. licet essent magnæ authoritatis, tamen nihil addiderunt doctrinæ meæ, nec Potestati. Nihil sc. authoritatis & doctrinæ juxta *Emanuel Saà* in Not. ad h.l. *Bellarmino* de Rom. Pont. lib. 1. cap. 16. nec quicquam id ad solam doctrinam referente. *Dicit* 3. *Paulus*, quod dextram sibi porrexerint & de laborum distributione convenerint, ita ut *ipse* Gentibus, *Petrus* v. Judæis prædicaret Evangelium. Quod utrumq; Apostolicæ æqualitatis argumentum est; Qui enim sibi invicem δεξιὰς κοινωνίας porrigunt, illi non se habent ut membra ad unum inter ipsos Caput (hoc enim non opus habet à membris suis sumere δεξιὰν κοινωνίας) sed ut membra ad unum supra ipsos caput, vel ut diversi Capitis diversa membra: Nec labores etiam officii dividi solent inter superiorem & inferiorem, sed inter pares & æquales, de quo prolixè *Chamier* tom. 2. *Panstrat.* c. 1. Et hæc omni exceptione majora *Pauli* cum *Petro, Jacobo* & *Johanne* æqualitatis sunt documenta. *Inter ipsos porrò Apostolos* in universum omnes, quos XII. Virale Collegium complectitur, & in eo præsertim inter δοκοῦντας æqualitatem ex Actis hisce Synodicis colligunt Theologi 1. Quia πρόθεσις s. collatio alicujus rei ad officium Doctoris Ecclesiastici pertinentis communiter & indifferenter τοῖς δοκοῦσιν

omnibus, adeoq; ipsi etiam *Petro* à S. *Paulo* præcisè abrogatur, aut potius denegatur. Si enim *Paulus* in *Petro* universalem aliquam & Oecumenicam (qualem capiti tuo affingis *Raynaude*) potestatem super omnes Ecclesias, & eorum Doctores sese extendentem auctoritatem agnovisset, tum appositè & majore suicum eminentia dixisset: Mihi autem ὁ δοκῶν εἶναί τι, h. e. Ipse qui pro Capite Universalis Ecclesiæ habetur, nihil apposuit. At verò *Paulus Petrum* communiter inter δοκοῦντας recenset, & de illis dicit, quod neq; ab hoc, neq; ab illo, neq; ab isto δοκοῦντι quicquam ipsi sive doctrinæ, sive auctoritatis respectu collatum sit. Eandem Apostolicam æqualitatem colligunt 2. ex eo, quod in enumeratione Apostolorum *Paulus* non primo, sed medio loco & post *Jacobum* locet *Petrum*. Negat quidem *Bellarminus* eam locationem certam esse, quia *Ambros. Hieron.* & *Augustinus* legunt, *Petrus*, *Jacobus* & *Johannes*; Et si omninò certa sit, aut *Jacobum*, quia Hierosolym. Episcopus fuit, præpositum fuisse *Petro*, aut ordinem non observasse *Paulum* in collocando; sed huic *Bellarmini* assertioni obstant codd. Græci, Syri, Latini, & in comment. recitationes *Chrysost. Theophyl. Oecum.* Græcorum; Latinorum v. *Hieronymi*, *Ambrosii*, *Bedæ*, *Anshelmi* & aliorum. *Augustinus* non αὐτολεξεὶ adducit verba Pauli, sed ἐν παρόδῳ tantum & in cursu sermonis. *Chrysostomus* cum in contextu nihil variaverit, collocationi Apostolicæ per commentationis libertatem nihil planè præscribit. Quæ præterea *Bellarminus* adfert, illa pro nobis interpretari commodè possumus. Si enim *Petrus* præter Apostolatum, quem ceu extraordinariam dignitatem, cum S. *Paulo* & cæteris Apostolis communem habuit, possedit etiam Oecumenicum Episcopatum; E. ipsi nullus Metropolitanus præponi potuit, nec debuit ex sententia Pontificiorum? Si verò *Paulo* licuit ordinem negligere in recen-

sione

sione Apostolorũ, utiq; omninò paritatem inter eos agnoviſſe cenſendum eſt. Hæc prolixè diducit *Dorſcheus* noſter loc. cit. Evicta igitur, ſpero, æqualitas Apoſtolorum poteſtativa ex hoc loco Scripturæ luculentiſſimè. Tu, quomodo hanc cum Viſibili tuo capite conciliare poſſis, maturè diſpice *Raynaude*; & noli quæsò in poſterum Scripturam pro capite tuo accerſere, quæ illud plane decollat & evertit, magno tui dedecore. Et tãtum de tribus iſtis negotiis, Electione ſc. *Matthiæ*, prædicatione Evangelii prima poſt Sp. S. acceptionem, & Synodo Hieroſolymit. 3. Act. 15. quæ ad ſtabiliendum *Petri*, ceu viſibilis Eccleſiæ Capitis authoritatem adduxiſti: Si penes hæc ſummas *Petri* fuiſſe partes, ſi directionẽ iſtorũ *Petro* tanquã præſidi & capiti omnia moderanti incubuiſſe validè probaſſes, promptum me tibi ad Viſibile tecum Caput agnoſcendum offerrem. Sed ex hiſce tribus negotiis id ægrè demonſtrabis: Quin ad iſta, quæ in contrarium hactenus produxi diſſolvenda nunquam te ſuffecturum certus ſum. Aut alia igitur affer fortiora negotia, aut Sanctam Chriſti Eccleſiam viſibili iſto, quod fingis CAPITE, *Petro* ſc. exue, ſoliq; Salvatori noſtro hanc dignitatem, ceu meretur largire.

§. 11. Equidem non ignoro, plura alioquin negotia pro confirmatione viſibilis hujus capitis afferri, non tam poſſe vi veritatis à ſociennis tuis, quam ſolere vulgo in gratiam Cathedræ veſtræ Romanæ; Prolixus hic cumprimis eſt Cardinalis *Bellarminus* lib. 1. de Romano Pontifice à cap. 18. usq; ad c. 24. qui ut alias omnes controverſiſticas quæſtiones elegantiſſimè tractavit, judicio *Roderici de Arriaga* tom. 5. diſp. Theolog. in ſec. 2dæ *Thomæ* diſp. 8. p. 134. ita & hanc, dum integras viginti & octo prærogativas Petri, ad primatum ejus Ἀρχοντικὸν adſtruendum congeſſit. Idem fecit *Sanderus* lib. 6. de viſibili Monarch. c. 2. lib. 2. *Lorinus*,

Cornel. à Lap. ad acta passim ubi se levis offert ānsa; *Baronius* sparsim, præcipuè ad ann. 34. 237. 274. 296. ad ann. 35. 25. aliiq;. Sunt istæ; mutatio nominis; in Choro Apostolico primo semper loco nominatio: super aquas cum Domino solius ambulatio: De filio Dei ipsi soli facta revelatio; Didrachmatis solutio; pro fide ejus interceſſio; prima pòst resurrectionem ei facta apparitio; pedũ primi lotio; crucis soli rursum facta prædictio; a primo miraculi perpetratio; per omnes Ecclesias transitio; miraculosa è carcere liberatio; à Christo baptizatio; ab eodem ad Episcopatum ordinatio; primi hæresiarchæ detectio & damnatio; sub finem vitæ divina apparitio; & quæ sunt ejusdem farinæ plures aliæ. Sed harum nullam hîc profers, *Raynaude*, fortè quod te pudeat tàm putidis & proletariis argumentis uti; Mihi etiam tanti non videntur istæ, ut vel obiter attingam ac perstringam: Neq; enim quidquam inde voluptatis, si vel maximè in omnibus istis sterquiliniis expurgandis operosè occuparer, & bonas horas rectiùs impendere didici. Accedit quod alii id prolixè præstiterint, cum primis *Chamier* Tom. 2. Panstrat. c. 16. seqq. qui Ineptias illas abundè protrivit, & ab omni vos, quod inde vobis pollicemini, præsidio præclarè dejecit. Satis est eritq; mihi, quod tria ista negotia, quæ ceu palmaria pro visibili tuo capite, *Petro* sc. citasti, tuæ causæ nihil commodare, quin obstare potiùs hactenus demonstraverim. Atq; ita ostendi nec *Paulum* seorsim, nec Apostolos reliquos universim à *Petro* depēdisse, eidemq; subjectos fuisse; ac proinde non fuisse *S. Petrum* Ecclesiæ caput, quia nullas unquam capitis partes obivit, nullāq; exercuit functionem, ex qua summam illam in Ecclesia regenda auctoritatem prodiderit, cum ejusmodi functionum ne vestigia quidem subministrent scripturæ. Hoc ostendisse te gloriaris *Anonymo* tuo, Pauli hyperaspistæ &

κεφα-

κεφαλαιωτοῖῶ punct. 4. num. 5. ex his ipsis fundamentis. Hinc de capite ejus altero Paulo scilicet, actum esse clamas: Hinc tuo de Incolumitate & concinnitate gratularis capiti, tibiq; tantum non de victoria: Ego eandem tibi cantilenam occinere possem *Raynaude*, & summo quidem jure; sed nolo ferocire, aut capiti tuo arrogantius insultare; Modestiæ cancellos amabiles non libenter transeo; veritati divinæ debetur, si quæ ex utriusq; deformis *capitis* resectione promanat gloria. Tibi v. de visibili Ecclesiæ capite vel deferendo sanam precor mentem; vel adstruendo argumenta & documenta fortiora.

§. 12. Atq; hîc te dimitterem, *Raynaude*, & ad quartum punctũ libenter transirem, nisi nova mihi denuò tela subministrares in capitis tui visibilis pernitiem. Non contentus sc: es, *Paulum* à solio pontificali, & dignitate Capitis, quam illi assignabat TRICIPITIS Ecclesiæ faber, deturbasse, quin ipsi porrò *Petro* ita proprium ac perpetuum hunc honorem esse contendis, ut ne in dubium quidem vocari illud possit, aut ullâ veri specie contrarium asseri. *Constat*, inquis, *de Pauli à Petro dependentia in prædicatione Evangelii. Unde disparitas utriusq; & inæqualitas, ac Pauli exclusio à dignitate Capitis Ecclesiæ totius, fit manifesta: Quid tale*, pergis, *de Petro erga Paulum possunt proferre adversarii, unde concludant Petrum vicissim Paulo subjacuisse, atq; adeo Paulum quoq; CAPUT Ecclesiæ dici posse? Nihil prorsus suppetit:* Moves tamen aliquod tibi dubium, ut omnem contradicendi ansam præripias adversariis: *Nam quod unicum*, inquis, *proferri potest*, nempe, quod Paulus Petro in faciem se restitisse testatur, Galat. 2. *id nullius prorsus est momenti.* Ita opportunè gladium mihi offers, quo causæ & capiti tuo visibili jugulum peterem, & exequias rursum pararem. Nullius quidem id esse momenti concessi, at non sanè nullius *Raynaude*, sed maximi potius id esse

Locus Gal. 2. De reprehẽsione Petri à Paulo, quem allegat sibiq; objicit Raynaudus, Petrũ à dignitate Capitis planè sequestrat nec quicquam obnitente Raynaudo.

esse partim ipse non obscurè doces, dum in eo retundendo miserè te torques & angis; partim ex iis, quæ subjungam, faxo cognosces. Ubi tamen in antecessum scire te volo, non ex hoc loco Adversarii tui me causam acturum, ut *Paulum* Ecclesiæ Caput alterum visibile esse evincam; (hoc enim non credo tibi magis, quàm mihimetipsi exosum esse, ac detestandum) sed veritatis divinæ partes propugnaturum, ut *Petrum* non minus quam *Paulum* à dignitate capitis Ecclesiæ excludam ac sequestrem, & paritatem utriusq; æqualitatemq; omnimodam confirmem. Quod ut obtineam, ita ex hoc loco adversus te argumentor.

CAPUT Ecclesiæ visibile jure meritoq; est prorsus ἀνυπεύθυνον & extrà omnem reprehensionem positum.

Petrus non fuit ἀνυπεύθυνος sed jure meritoq; reprehensus à Paulo.

Ergo non fuit Ecclesiæ caput visibile.

Major est vestra & extra omnem controversiam apud vos posita, nisi fortè post longa tempora jam tandem refutare volueritis vestros Canones, qui tantâ verborum pompâ negant Papam ab ullo Mortalium reprehendendum, ne quidem si secum populos catervatim trahat in Gehennam: Imò si *majorem* negare volueritis, concidet *Romani pontificis* infallibilitas, quam propugnat *Bellarminus* lib. 4. de Rom. Pontif. c. 2. concidet Ecclesiæ Romanæ ab errore immunitas & infinita alia incommoda in *caput* vestrum redundabunt. *Minor* ex hoc loco evidenter liquet. Verba hæc sunt. Gal. 2, 11. seqq. Ὅτε δὲ ἦλθε Πέτρος εἰς Ἀντιόχειαν, κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν. Πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν τινας ἀπὸ Ἰακώβου, μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιεν, ὅτε δὲ ἦλθον, ὑπέστελλε καὶ ἀφώριζεν ἑαυτὸν, φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς. Καὶ συνυπεκρίθησαν αὐτῷ καὶ οἱ λοιποὶ Ἰουδαῖοι, ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει. Ἀλλ' ὅτε εἶδον, ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ Εὐαγγελίου, εἶπον

εἶπον τῷ Πέτρῳ ἔμπροσθεν πάντων: Εἰ σὺ Ἰουδαῖος ὑπάρχων, ἐθνικῶς ζῇς καὶ οὐκ Ἰουδαϊκῶς, τί τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις Ἰουδαΐζειν. &c.

§. 13. Consideremus ista distinctius & accuratius. 1. *Reprehendens* hic est procul dubio *Paulus*, ut ex contextu appareat, & quidem quod urges & contendis, à *Petro* dependens, *Petro* subjectus, *Petri* comprobatione indigens, dispar & inæqualis *Petro*, *Petro* longè minor & inferior, ejusdemq; quasi discipulus, à dignitate & authoritate capitis excluso: Hæc & alia, quæ supra rejeci de *Paulo* testimonia, nunc lubenter accepto tanquam causæ tuæ haud parum obfutura. 2. *Reprehensus* est *Petrus* ille Princeps, Pastor & rector omnium ovium, ac proinde etiam Apostolorum, omnium Christi filiorum Pater, Patriâ in *Paulum* potestate pollens, cujus primæ semper fuerunt partes, cui gravissimorum negotiorum directio tanquam præsidi & capiti omnia moderanti incubuit: uno verbo: CAPUT & Monarcha visibilis totius universum, quaquà patet Ecclesiæ: quibus eum Encomiis subinde exornas & dignaris. Is, inquam, ipse est, qui hîc à *Petro* castigatur & reprehenditur: Quod ipsum quamvis textus luculenter ostendat, negat tamen *Alex: Carerius* lib. 1. cap. 5. dum in Respons. ad hunc locum ita loquitur: *Respondetur primò, non Petrum Apostolum, sed quendam alium à Paulo reprehensum, teste Clemente Alexandrino apud Euseb. lib. 1. hist. c.* 14. Et *Pighius hâc occasione in hujus Clementis laudes progreditur. Tanti* scilicet *momenti, Raynaude*, visus est hic locus *Carerio*, ut nisi *Petrus* alius à Capite isto hîc substituatur, actum de capite ejus opinetur. Sed hoc figmentum meritò jam explosum ab *Hieronymo* h. l. qui negat alium sciri *Cepham* s. *Petrum*, quam eum, qui modò *Cephas*, modò *Petrus* inscribitur. Nullo id negotio ex textu demonstrarem, nisi te & reliquos conplicum tuorum hic haberem consentientes *Spondanus* ad hæc ita scribit; *hæc nec olim placuere Hieronymo, nec*

In quo consideratur 1 reprehendens.

2. Reprehensus.

nunc nobis. Tua verba satis etiam sunt manifesta: *Hoc*, inquis, *nullus veterum habuit ratum, sed passim omnes illum Cepham, de quo Paulus, fatentur fuisse S. Petrum Apostolorum Principem*, nec inde quidquā incommodi secuturū existimas. Certum igitur utrinq; esto, *Petrum*, illud visibile caput Ecclesiæ scilicet! esse, cui hic *Paulus* in faciem restitit, quemq; κατεγνωσμένον esse dicit. Videamus igitur 3. *Reprehensionem* ipsam; quænam ac qualis sc. fuerit: Concepta & descripta est illa verbis satis asperis & gravibus: Dicit *Paulus*, se ità reprehendisse *Petrum*, ut RESTITERIT ei κατὰ πρόσωπον, & ἔμπροσθεν πάντων ad eum dixerit: *Si tu, cum Judæus es, Ethnicè vivis & non Judaicè, quare ergo gentes cogis Judaizare?* Ad quæ verba præclarè *Chrysostomus*: Παῦλος, inquit, ἐπιπλήττει καὶ Πέτρος ἀνέχεται, ἵνα ἐγκαλεσθέντος τοῦ διδασκάλου καὶ σιγῶντος, εὐκολώτερον οἱ μαθηταὶ μεταθῶνται; hoc est; *Paulus objurgat & Petrus sustinet, ut dum Magister objurgatus obticescit, facillimè discipuli mutarent sententiam*; unde liquet illud ἀντίστην κατὰ πρόσωπον non ἔγκλημα tantum quoddam vulgare, sed etiam ἐπιπλῆξιν significare, imò & ἐπιτίμησιν σφοδροτέραν s. acriorem increpationem, quomodo ipse paulò pòst *Chrysostomus* eam nominat. *Bullingerus* in h. l. *verbum*, inquit, *Pauli habet aliquid constantiæ & acrimoniæ*, velut si Germanus dicat, Ich stund ihm ins Antlitz/ ich sagts ihm unter Augen. Fuit igitur hæc reprehensio 1. *acris & aspera*. Fuit 2. *vera, non ficta* aut *simulata*: atq; hoc tibi non omninò arridet, *Raynaude*; Nam ut *Petri* auctoritatem sartam tectam tuearis, dicis rem ex *Composito* ad cœterorum institutionem esse gestam cum simulatione officiosa. Idem statuit *Gregor. de Valentia* Analys. lib. 7. c. 6. *Pighius, Hierarchiæ* lib. 3. c. 11. *Haud improbabilis*, inquiens, *sententia est simulatam fuisse illam reprehensionē. Alex: Carerius* lib. 1. c. 5. *Secundo*, inquit, *Resp. non verè sed simulatoriè Petrum fuisse reprehensum*; Et huic opinioni ex antiquis

§ Reprehensio ipsa.

quæ fuit h. acris & aspera.

2. Vera non simulata.

tiquis Ecclesiæ Doctoribus *Chrysostomum* ac *Hieronymum* favere dicis *Raynaude*; Sed falluntur hi & quotquot sunt alii simulationis hujus tecum Patroni: Quid enim alienius ab instituto *Pauli* potuit fingi? volebat ille ministerii sui auctoritatem commendare, imò verò doctrinam suam stabilire: Hoc certè fictâ, mendaci, fallaciq; historia facere non potuit, nec debuit: Tantum enim abest, ut hoc pacto doctrinam suam stabilire potuerit apud *Galatas*, ut Impostoris etiam ac scurræ suspicionem incurrere. *Hieronymum* etiam simulationis assertorem gravissimè redarguit *Augustino* hac potissimum ratione; quod posita ista Hieron: opinione mendacium in scriptura apertè reperiri concedendum esset; *Paulus* enim apertè dicit se restitisse *Petro*, se reprehendisse *Petrum*, non ambulare ad veritatem Evangelii *Petrum*: Quod si autem *Paulus* simulatè saltem reprehendit *Petrum*, Ergo verum non est, *Petrum* non ambulasse ad veritatem Evangelii; Atq; ita *Paulus* à mendacio absolvi non posset. Argumenta etiam *Hieronymi* pro simulatione solidè refutavit *Augustinus*. Erant ista 1. quia *Petrus* sciebat Ecclesiam esse à jugo Legis Mosaicæ liberatam. 2. Quod ipse etiam *Paulus* nonnulla legalia observarit, ut accommodaret se Judæis. 3. Quia *Paulus* dicit se restitisse κατὰ πρόσωπον: Ad hæc *Augustinus*: Primum, dixit, nihil obstare, *tum*, quod non dixit *Paulus*, *Petrum* perperam credidisse, aut docuisse subjiciendam esse Ecclesiam cæremoniis legalibus, sed contrà quam docendum esset fecisse: *tum* quod constet etiam sciviſſe *Petrum* non abnegandũ esse *Christum*, imò contrà protestatum esse Matth. 26. & tn. nemo dixit postea, *Petrum* ex composito negasse cum ter dixit, Non novi eum. *Ad 2.* Resp. *Augustinus*, *concedendo*: Imò maximè observasse quædam legalia *Paulum*; At propterea *Petrum* non increpasse, sed quod absentibus Judæis liberè cum gẽtibus versaretur,

iis autem præsentibus ab illis discederet, quod nunquam *Paulus* fecisse legitur. Nam *aliud longè* erat, quum in medio Judæorum *Paulus* versaretur, accommodare se eorum ritibus, quos nondum ut pernitiosos odisse licebat, sed ut ἀφ' ὁρᾶς paulatim omittere: *aliud rursus*, quum esset Petrus in mediis gentib9, subitò ab eorum convictu discedere: quod fieri non poterat, quin foveretur odium illud Judæorum, quo gentes tanquam fœdere indignas prosequebantur. Ad 3. etiam facilè responderi potest; scilicet illud, κατὰ πρόσωπον, *nunquam* in scriptura eo sensu reperiri, ut *significet simulationem* & *fictionem*, sed potius *id*, quod geritur *in præsentiâ*: ceu patet ex Luc. 2, 31. Actor. 3, 13. 2. Cor. 10. Unde *Hug. Grotius* in h. l. κατὰ πρόσωπον, inquit, *est coram* לפני quod & ἐνώπιον & ἔναντι verti solet. *Thomas* explicat *manifestè*; Emanuel Saa, *palam:* Lombardus *non in occultò* sed *coràm omnibus*. Vides igitur perperam simulatam hîc fingi reprehensionem *Raynaude*, nec *Hieronymi* vel *Chrysostomi* authoritatem ad illam acceptandam sufficere, cum veritati cœlesti apertè contradicat. Quod ipsum animadvertens *Bellarminus* eam deserit, & *veram* hanc reprehensionem fuisse cum *Cypriano*, *Augustino* aliisq; plurimis agnoscit lib. 1. *de Rom. Pontif. c. 16.* Nec tute videris morosius pro *simulatâ* pugnare velle, quanquam hoc ipso primam tuam rationem ipse evertas & infringas. Certum igitur, & ex tuâ confessione rectius dicitur, reprehensionem hanc non ex composito simulatam sed veram fuisse. Fuit 3. hæc reprehensio non *Juridica*, quod ipse fateris: Talem enim Apostolico choro non competiisse suprà probavimus, nec à quoquâ Apostolorum, sivè *Petrus* ille fuerit sivè *Paulus*, seu quivis alius fuisse exercitam, probari potest. Fuit 4tò non nudè *correctiva*, aut *charitativa*; nec 5. superioris ab inferiore, quod utrumque eadem facilitate rejicitur, quâ absq; te asseritur:

3. *Non Juridicâ.*

4. *Non nudè Charit:*

Paulum

Paulum enim *Petro* inferiorem fuisse dum asseris τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνεις; & prius non sufficere ostendit contextus, qui satis acrem & asperā *Antistaticam* sc. & *condemnatricem* istam reprehensionem fuisse docet. Fuit igitur *6. fraterna, Apostoli in Apostolum, fratris in fratrem, paris in parem.* Ita illam exponit Glossa interlinearis in h. l. *Non auderet*, inquit, *id Paulus, nisi se Non imparem sentiret*: Similia habet *Ambrosius* in Epistolam ad *Galatas*: *Nam quis eorum*, inquit, *auderet Petro primo Apostolo, cui claves regno cœlorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis, qui fiducia electionis suæ sciens se non esse imparem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat.* Hinc pulchra est observatio *Gregorii* Rom. Pontif. quem allegat *M. Ant. de Dominis* lib. 1. Reip. Ecclesiast. c 11. num. 23. sc. *Petrum legisse Epistolas Pauli, easq; laudasse, licet in iis videret universo orbi promulgari, se fuisse reprehensum à Paulo, quia & erat reprehensibilis*; ad quæ verba *Gregorii* ita commentatur seu potius jocatur *M. de Dominis*: *Mirum verò quod Petrus, hoc est summus Ecclesiæ Monarcha & supremus Christi Deiq; Vicarius illam Epistolam Pauli ad Gal. in indicem expurgatorium statim non conjecerit, quippe ipsum primum & supremum Papam adeo deprimentem, & ipsius errores exaggerantem. Certe Petri successores tales Epistolas & libros, qui ipsorum errata & reprehensiones rationabiles continent, jam ferre nolunt: proscribunt eos potius & omnibus diris devovent (etiam antequam edantur, ut nunc primum huic meo contigit operi) Exspectandum profectò, ut si planè nostri Papæ viderint ex Evangelio Canonico papatum destrui, Evangelium ipsum in prohibitorum librorum indicem detrudant.* Hæc verè *M. Ant. de Dominis*. Tantum igitur de reprehensione ipsâ, quæ quantum suprematui *Petrino* deroget, ex his quæ dicta sunt satis liquet, & inferiùs clariùs ostendetur. Videamus igitur 4tò. *reprehensionis hujus causam & rationem*. Erat illa error & culpa *Petri* non sanè levis aut exigua: quod

5. Non superioris ab inferiore.

6. Sed fraterna.

4tò reprehensionis ratio.

Erratum Sc. Petri.

quò *Paulus* ostendit evidentiùs, eò *Baronius* occupatur impudentius, dum ab omni eum errore ac culpâ prorsus absolvere allaborat, *tom. 1. Ann 55. num 34* seqq. Gloriatur ille, *se de antiquissimâ atq; in ore omnium versatâ, multisq; chartis tractatâ quæstione legitimum, eundemq; Germanum historiæ huic sensum restituisse, hâc positâ Explicatione*: nimirum *licuisse Apostolis absq; ullâ levissimâ culpâ secundum loci & temporis rationem uti legalibus, & hâc licentiâ Petrum sine culpâ, optimâ oblatâ opportunitate usum, timentem ne Judæi illi offenderẽtur, qui à Jacobo Hierosolymis venerant Antiochiam: Qui & ipsi Hierosolymis, licet jam Christiani, adhuc tn. legalibus multis uti permittebantur: Scandalo v. gravi turbati fuissent, si Petrum ipsorum proprium Apostolum vidissent quasi ab eis defecisse, & Gentilibus Christianis adhæsisse: ideoq; eum subtraxisse se à Gentilibus, & ad illos hospites Hierosolymitanos sẽ recepisse cum legalium circa cibos observatione: Hoc verò quia ex accidenti & inopinatò ac præter intentionem ipsius Petri incommodè accidit, & pernitiosum peperit effectum, meritò Paulum perturbasse, quia Gentiles, Petri exemplo moti, ad Judaizandum movebantur. Judæi v. Christiani etiam ipsi, quin ipse Barnabas, eodem exemplo Petri sutrahebant se à Gentilibus fratribus cum aperto schismate, & magna dissensione ac confusione. Hæc & alia propter*, inquit, *excanduisse Paulum in Petrum, & factum cœpisse acriori objurgatione detestari, ubi tamen Petrus omni prorsus culpa vacaret, quia præter ipsius spem id acciderat; Viso tamen malo effectu illius suæ simulationis, quâ ad vitandum Judæorum scandalum servabat legalia in cibis, quæ sciebat tamen jam exspirare, & ita se Judaicè adhuc vivere simulabat, reprehensionem illam æquò animo admisit, & Paulo optima monenti consensit.* Ita *Baronius Petrum* errasse negat verè, *& propriè, & tamen Paulum meritò ei* succensuisse concedit: Sed ut dixi, falsò & impudenter. Quid enim ad hæc Paulus? Omnia isti profectò prorsus adversa. *Dicit* 1. non ὀρθοποδεῖν *Petrum*

Petrum ad veritatẽ Evangelii. *Dicit 2.* Petrum κατεγνωσμένον Non *reprehensum* (quid enim id foret? Restiti ei in faciem, quia reprehensus esset?) Sed *reprehensibilem*, seu dignum, qui reprehẽderetur ac damnaretur; ὀπίμεμπτον vel ὀπιμεμφῆ juxta *Hebræorum Idiotismum*, quo participia crebrò pro nominibus usurpantur, seu in nomina degenerãt, de quo *Glassius* in Grammat. s. lib. 3. tract. 4. p. m. 409. *Dicit 3. Petrum* hoc facto scandalizasse, & ad Judaizandum coëgisse *Barnabam* & reliquos. Quæ omnia eò tendunt, ut quod fecit, jure fecisse se *Paulus* doceat. At si jure fecit, profectò Petrum necesse est culpâ non vacare, nec ab errore esse immunem. Fuit autem error iste (quod notandum cumprimis) *in praxi potius quam in Theoria.* Impius quidem ille & blasphemus *Porphyrius* hanc reprehensionem ad hoc obtendit, ut suspectam redderet omnem Apostolicam doctrinam, dum *Petro* erroris, *Paulo* vero procacitatis notam inussit: sed huic rectè respondet *Tertullianus*; *Si*, inquit, *reprehensus est Petrus, quod convixisset Ethnicis, postea verò se à convictu eorum separavit Personarum respectu, utiq; Conversationis vitium fuit nõ prædicationis.* Et sanè si totum hunc locum diligenter volvas & revolvas, comperies in *doctrinâ* consensum maximum, in *conversatione* verò à *Petro* aberratum fuisse. Quod ut eò plenius intelligatur, repetenda erunt quædam paulò altius, quæ ad errorem hunc illustrandum faciunt. *Erat scilicet uti notum, id temporis gravissima contentio inter credentes, Gentes-nè pertinerent ad populum Dei, an verò non pertinerent? Paulus & Barnabas ajebant*, modo in Christum crederent. *Nazaræi* verò & magna pars eorum, qui ex circumcisione crediderant, *dicebant Gentes tum demum Dei futuras, si ad fidem legem quoq; servarent, & circumciderentur*: Imò *contendebant, illas sine circumcisione & lege populum Dei esse non posse*: Atque *idcircò abstinebant ab eorum consortio & conversatione ut maximè immundo-*

At in praxi magis, quam in Theoriâ.

mundorum, ceu patet ex *Actis Apostolorum* passim, cumprimis verò c. 10. & 11. ubi *Petrus* ad *Cornelium* & cæteros, *Scitis*, inquit, ὡς ἀθέμιτόν ἐστιν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ, unde se etiam excusat Judæis s. illis qui erant ἐκ περιτομῆς indignantibus ὅτι πρὸς ἄνδρας ἀκροβυστίαν ἔχοντας εἰσῆλθεν καὶ συνεφάγεν αὐτοῖς c. 11, 2. seqq. Et *Petrus* quidem probè hac de re informatus divinitus sciebat Deum Gentium quoq; Deum esse; didicerat id in admirabili *Cornelii* vocatione & aliis negotiis: Proinde cum *Antiochiæ* ageret, cum gentibus conversis ad Christum, sed præputiatis tamen, securè & liberè conversabatur. Ratio hæc erat, quia *comperat*, *quod non sit προσωπολήψια apud Deum, sed in quâvis gente, qui timet ipsum & operatur justitiam is acceptus est illi*: & alibi, *Deus*, inquit, *qui novit corda, testimonium præbuit Gentibus, dans illis Sp. S. sicut & nobis, nihilq; discrevit inter nos & illos, cum fide purificaverit corda illorum: Nunc ergò, quid tentatis Deum, ut imponatur jugum super cervices Discipulorum*, &c. Actor. 15. Et hactenus recte Petrus, *cumq; ὀρθοποδοῦντι Paulo* benè conveniens. Sed *metus & Personarum respectus* ab hac viâ laudabili eum abstrahebat & excutiebat postmodum. Venientibus enim quibusdam Judæis conversis à *Jacobo* Hierosolymis docente, qui coactus loci & temporum illorum injuriâ cogebatur observare & ferre, quæ correctiora & perfectiora voluisset plurima, ut liquet ex Actor. 21. subduxit se *Petrus* in adventantium gratiam, quod non nesciret illos iniquo laturos animo, si cernerent ipsum securè conversari cum incircumcisis. Proinde *Petrus* non nescivit gentes fide esse purgatas, & quod ad eam mundationem nihil conferret circumcisio: Indè enim unà cum Gentibus sumebat cibum; sed partim metu Judæorum supervenientium, partim in gratiam ipsorum fecit, quicquid fecit, nimirum nolens offendere ipsos; & charitati quidem inservivit hactenus, quamvis cum metu;

haben-

habenda tamen erat ratio eorum quoq;, qui ex Gentib9 crediderant, ne & ipsi offenderentur: Aberravit igitur, & hallucinatus hîc est *Petrus* haud leviter, imprimis, quòd *Barnabam* insuper & credentes alios hàc suâ simulatione seduxit, & ab ὀρθοποδία πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ Εὐαγγελίου retraxit. Rectius itaq; dubio procul *Baronius Petro* aberranti condoluisset, quam errorem ejus excusare tantoperè contendisset, errores erroribus fædè cumulans. Nec juvant ipsum, quas affert rationes; Est quidem certum, potuisse Apostolos Judaicis ritibus liberè tum temporis uti, quum non abjicienda, sed honorificè sepelienda lex esset: Itaq; loci temporisq; ac personarum rationem habendam aliquando fuisse non nego; At verò istius præcisè loci, temporis, & personarum rationem rectè à Petro habitam fuisse, unde probabit *Baronius? Paulus* id negat, *Petrumq;* propterea severè castigat: *Cui v. illorum temporis, loci, personarumq; ratio rectius fuit cognita? Paulone*, qui *tum aderat Antiochiæ, videbat, cognoscebat, numerabat personas tum præsentes, sive è Gentibus, seu ex Judæis?* an verò *Baronio*, qui sedecim post illud tempus seculis plus minus natus? Nec est quod obvertat *Baronius* habendam id temporis fuisse rationem *Judæorum* potius, quam *Græcorum:* Res enim hæc, uti notũ, *Antiochiæ* gesta extra Judæam: Itaq; longè pluribus *Græcis* abundabat; Præterea *Judæi* adfuerunt saltem, ut ita dicam, per accidens. Venerant n. Hierosolymis; at Græci erant incolæ: Quis autem non potiorem putet habendam rationem Ecclesiæ totius præsentis, quam paucorum peregrinorum? Imò verò locus ille & tempus & personæ tum maximè Judaizandum non esse apertissimè declarabant; Et hoc sciebat & advertebat, aut saltem scire & advertere debebat ille, qui primus erat inter Apostolos: Prædicabat tunc temporis *Paulus* suis gentilibus legalia cessasse; At v. *Petrus* conversatione suâ contrarium

docebat: Quoipso, quid aliud quæso præstabat, quam quod divinam auctoritatem & revelationem in dubium revocaret, & in Apostolicâ doctrinâ schisma induceret? sanè *Pauli* auditores *Petri* exemplum magis sibi sequendum putabāt, quam *Paulo* contrarium docenti credendum: Unde *Paulus* igitur suam doctrinam ex Christi revelatione acceptam commendaret imposterum, quam *Petri* exemplum destruebat, & ferè mendacem faciebat? Et hic non error erat gravissimus, Pauli deprimens Apostolatum? Profecto aut *Petrus* in suâ Judaizatione graviter erravit, aut *Paulus* longè gravius in sua *Petri* reprehensione peccavit; Nec potest purgari *Petrus*, nisi *Paulus* condemnetur: Valeat ergo *Baronius* cum suâ excusatione, & *Augustinum* cum *Cypriano* & aliis gravissimis venerandæ antiquitatis Doctoribo longè accuratiorem in hanc quæstionem obtutum defixisse fateatur, quàm ipse fecit: Cum primis verò sibi caveat, ne fumum fugiens in ignem incidat, h. e. ne nimio & præpostero *Petri* amore flagrans, omni prorsus auctoritate *Paulum*, illud σκευὸς ἐκλογῆς exuat ac privet.

§. 13. Tantum igitur de hac *Petri* à *Paulo* factâ correptione ac reprehensione; quod si ista accuratius tecum ponderaveris *Raynaude*, deprehendes, spero, manifestò, non *nullius* sanè *momenti* eam esse argumenrum ἰσοτιμίας s. æqualitatis Apostolicæ inter *Petrum* & *Paulum*; atque adeò fortissimam hîc rursum clavam ad retundendum CAPUT tuum VISIBILE Petrum sc. Quin imò vix poteris, quin cum *Baronio* locum hunc *lapidem offensionis*, *locum scabrum*, *Petram scandali* & *Historiam captu difficilem* pronunties. Quamvis enim ex hâc correptione *Petri* per *Paulum* verè & meritò institutâ, *Paulum* ad dignitatem capitis Ecclesiæ promotum, ceu ante dixi, nec velim, nec sanè possim, possum tamen solidè ex istâ *Paulum* à dependentiâ & subjectionè ad *Petrum* libera-

liberare, & *Petrum* abuniversali & Oecumenico in Ecclesiam dominio, quod ipsi ceu capiti adsignas, detrudere. Et hoc est, quod operosè jam contendo, quodque hactenus non infeliciter abs me præstitum existimo. Concludo igitur *Punctũ hocce tertium* verbis tuæ propositioni αἰτιολημπτῶς oppositis: *Notionem*, inquam, *capitis mystici à Paulo pariter & Petro prorsus esse alienam; cum nullæ functiones capitis, nullæ partes summi præsidis, nulla negotia, unde summa illa in Ecclesiâ regendâ auctoritas elucescat, de utroq; vel alterutro possint produci*, atq; ita pergo ad

PUNCTUM IV.
DE
Probandi CAPUT utrumq; VISIBILE ex scripturâ Impossibilitate.

§. 1.

AD scripturas eò tecum porrò lubentius progredior *Raynaude*, quò plus in illis roboris ad *Anonymi* tui TRICIPITEM destruendam, tuam verò BICIPITEM Ecclesiam adstruendam situm esse gloriaris confidentius. Occupati quidem fuimus *puncto* proximè præcedente in scripturæ dictorum quorundam examinatione, & accuratiori disquisitione, si forte functiones aliquæ CAPITIS exinde pro *Petri* & *Pauli* vel utriusq; vel alterutrius primatu stabiliendo possent proferri; sed id frustrà non minus à te quam ab *Anonymo* tuo tentatum fuisse, è dictis abundè liquet. Pergo igitur ex iisdem scripturis de utroque Visibili CAPITE judicare, ut exinde elucescat veréne an falsò uterq; vestrum ad istarum præsidium provocet. Est omninò ita, quemadmodum *S. Hipponensium Antistes* de *Erronibus* tradit, *eorum* scilicet *consvetudinem esse, ut scripturam*

1. Paulum *Ecclesiæ Caput esse visibile non probatur.*

prætexant erroribus suis excusandis, in Ps. 67. Conquesti de hâc hæreticorum malitiâ Patres Doctoresq; Ecclesiæ sunt passim, & multis nostri etiamnum ævi Exemplis eadem comprobari sine negotio posset; sed id nec vacat, nec hujꝰ est loci; Instar omniũ eris tu mihi *Raynaude*, cũ *Antagonista* tuo; Ad scripturas identidem provocatis ambo; Neuter de *Capite* suo citrà scripturam vel tantillum pronũtiasse videri vult; Uterq; *feram arundinis* aut *bestiam calami*, quam vocat *Augustinus*, se suomet exemplo prodit esse, dum latibulum in aliquâ scripturâ quærit & captat. Prodeat primum *Anonymus* tuus cum suâ pro PAULI, tu deinde sequére cum tuâ pro PETRI primatu scripturâ *Raynaude*.

Nec t. Ex Mosis & Aaronis in Pontificatu conjunctione.

§. 2. Ex utroq; *Vet.* pariter ac *Novo* Instrumento sua profert iste, si quæ sunt, documenta. Ac initiò quidem *ex Vet.* urget Exemplum *Mosis* & *Aaronis*, *quos simul fuisse contendit summos Synagogæ Pontifices*, *ac proinde non absurdum esse contendit*, *Petro adjungi Paulum in Universali Ecclesiæ curâ ac Regimine* Ἀρχονλικῷ. Sed hoc ineptè profectò & prorsus ἀπεσταλμένως *Anonymus* tuus *Raynaude*. Hîc certè si unquam aliàs, (neq; enim possum tibi non assentiri) non documenta, sed vanissima affert somnia ac commenta. Quorsum enim 1. illud *Ecclesiæ Judaicæ* Exemplum? Quis hanc *Christianæ* normam esse jussit? Quis *Mosen Petri*, *Aaronem* verò *Pauli* typum fuisse crederet? Credat Judæus Apella, Non ego: Fallor? an consentis *Raynaude?* Ita est omninò, si silentium consensus est indicium: sit autem ita; Fuerit, inquam Ecclesia Judaica Christianæ umbra aut figura; Quid hoc 2. ad *Bicipitem* Anonymi *Ecclesiam Visibilem*? Fuitne talis olim Judaica? Ita quidem vult *Anonymus* noster, sed perperam; Nunquam enim duo summa simul Ecclesiæ Judaicæ fuerunt *Capita*, aut summi Synagogæ Pontifices; solus *Aaron* ex ordinatione divinâ summus erat Pontifex; Non habebat

bebat ille quenquamin eodem ordine aut *suprà* aut *juxta* se; *Non illud*; Fuit enim, & rectè dictus fuit כהן הגדול ab Hebræis, à Græcis Ἀρχιερεὺς, summus absolutè sacerdos, qui præfuit reliquis omnibus à nemine dependens; Quî autem verè summus potuit esse, si suprà se habuit *Mosen*, aut quemvis alium? Fuisse quidem *Mosen* superiorem *Aarone* libenter concesserim, sed tanquam *Magistratum*, non *sacerdotem*; nam hoc sacerdotali munere post institutum *Aaronem* nunquam legitur esse functus. *Non hoc:* si enim sacerdotali munere juxta cum *Aarone* non est functus *Moses*, quî juxta cum eo summus potuit esse Pontifex? Rectè hîc (utinam semper ita) *Raynaude*, *Moses*, inquis, *etiamsi Pontifex fuit extra ordinem ad initiandum Aaronem* & plantandam Pontificiam Cathedram legis scriptæ, idcircò denominatã Cathedram Mosis, extrà tamen eam functionem non egit Pontificem aut Sacerdotem, sed populi Dei Ducem politicum; Itaque nunquam fuerunt simul duo Pontifices Moses & Aaron; Nam cum Moses suum illum extraordinarium Pontificatum obivit consecrando Aaronem, iste nondum erat Pontifex in facto esse, ut sic dicam; ex quo autem functus est eo consecrationis munere, & Aaron Pontificatum inivit, Moses desiit esse Pontifex, nec ultrà se ingessit in iis, quæ secundum Deum erant, sed hoc totum Aaroni ad id divinitus delecto permisit. Hæc optimè, sed adversus *Roffensem*, qui ad 25. articul. *Lutheri, in omnibus negotiis, quæ ad Deum attinebant Mosen Aarone superiorem fuisse contendit.* Frivolum est, quod, *Anonymus* tuus ex Ps. 99. (juxta Vulgatam tuã 98) v. 6. pro sacerdotio Mosis allegat: Verba istius hæc sunt: *Moses & Aaron* בכהניו *in sacerdotibus eius* vel *inter sacerdotes* ejus, *Samuel & cum invocantibus nomen ipsius, inclamantes Jehovam, ille illicò exaudivit eos:* Quid hîc pro Sacerdotio *Mosis*? Fortassis ita ex hoc loco concludit *Anonymus*, si planè vult:

Moses & Aaron inter Sacerdotes ejus debent exaltare Dominum. E. *Moses æquè ac Aaron est summus Sacerdos*: sed quæ isthæc consequentia? Quasi verò non posset *inter Sacerdotes* aliquis *non Sacerdos* laudare Dominum? Quasi verò necessum sit, Diabolum esse filium Dei, quia *inter* filios Dei erat Job. 1. Vides hanc αἰαχολαβίαν, *Raynaude*, & propterea *Anonymum* tuum haud immeritò perstringis in hoc loco latibulum sibi quærentem, dum inquis; *Quod autem Moses & Aaron Ps. 99. dicantur fuisse in sacerdotibus ejus, non est sensus, ambos simul functos esse sacerdotio; Illud enim, in sacerdotibus, ad solum Aaronem pertinet, ita ut cum memorentur ibi tres insignes Numinis cultores, Moses & Aaron & Samuel, Aaroni tribuatur, quod fuerit in Sacerdotibus* hoc est *juxta phrasin* Hebræam *summus Sacerdos vel Pontifex & Sacerdotum Princeps.* Hæc adversus *Anonymum* non ineptè urges: Scire tamen debebas, non huic soli, sed ipsi simul *Bellarmino* & aliis Doctoribus vestris hoc ipso te apertè contradicere: sanè *Bellarminus* ex hoc ipso loco *Mosen* summum sacerdotem fuisse concludit, probatq; T. 1. p. 57. & 200. T. 2. p. 95. 98. Idem facit *Gilb. Genebrardus* Comm. in h. l. *In Deras*, inquit, *Moses non tantum dicitur Sacerdos, verum etiam primus legis Sacerdos, ut qui sacerdotali munere functus sit ante Aaronem septem consecrationum s. ordinationum diebus. Lev. 8. nec fuerit exclusus à magni sacerdotii functione 40 illis annis, quibus in deserto rexit populum è scriptis R. Jonathan, R. Josua, R. Berechia. Assentiuntur nostri, ut Hieron. lib. 1. contr. Jovin. August. in h. Ps. Dionysius Hier. Eccl. c. 5. Nazianz. Orat. ad Greg. Nyss. Leo M. Epist. 88. Atq; hinc Philo* (pergit idem) *Judæus libros suos de Vitâ Mosis distributos in tres partes regnum, leges, & sacerdotium, ita concludit: Atq; hæc fuit vita obitusq; Mosis Regis, legislatoris, Pontificisq;, sicut s. literis proditur.* Hosce tuos complices tecum committo *Raynaude*, & haud obscurum hunc dissensum obiter tibi impingo. Extraor-

traordinarium quidem *Bellarminus* hoc Mosis sacerdotium fuisse concedit; Et hactenus tecum consentit. At verò dum ex hoc loco Ps. 99. eundem probari posse contendit, tibi apertè contradicit. *Simon de Muis* Prof. Reg. Par. com. in h. Ps. pag. op. 579. *Videtur*, inquit, *hic locus docere Mosen fuisse Sacerdotem; Ezra, Kimchi, & alii Mosen affirmant sanè probabiliter sacerdotio functum esse septem illis diebus consecrationis Aaron & filiorum ejus, de quâ* Levit. 8. *Nec desunt ex Vet. Rabbinis, teste Kimchi, qui docent Mosen integris 40. annis in deserto, sacerdotio fungi potuisse. Sed quo nitantur Scripturæ fundamento, nullus video,* (pergit de Muis) *nisi hoc fortassis, quod tamen eorum sententiam minimè juvat. Certè istorum Magistellorum mihi semper suspecta fides est, nisi textu aliquo firmetur. Nicolaus* etiam *Trevetus Anglus*, quem *Lorinus* mirè laudat, propendet in sententiam quæ asserit, *Mosen non fuisse sacerdotem, jubens nos cum distinctione legere, Moses, deinde post virgulam indicantem separationem dignitatis, & Aaron in sacerdotibus, ita ut Aaroni conveniat sacerdotem esse non Mosi.* Hæc *Trevetus* ad tuum apprimè palatum, *Raynaude*. Plura hîc testimonia cumulare nolo: satis est mihi, Mosis Pontificatum ex hoc loco nec posse probari, quod vult *Anonymus* tuus, nec illud abs te probari. Corruit igitur primum, quod ex scripturâ desumpsit, pro *Pauli Petriq;* Pontificatu ex *Mosis & Aaronis* exemplo stabiliendo, argumentum.

§. 3. Pergit ab hoc ad aliud, à *Vet.* ad *Nov.* Instrumentum, & ex hoc locum 2. Cor. 11, 28. producit, ad confirmandum sententiam suam de *Bicipiti Ecclesiâ visibili.* Ibi *Paulus* de semetipso: ἡ ἐπισύστασίς μου, inquit, ἡ καθ' ἡμέραν, ἡ μέριμνα πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν. Unde ad hunc fere modum concludit: *Si Paulus gravatus est omnium Ecclesiarum sollicitudine, Igitur fuit Pontifex Universalis, & caput totius Ecclesiæ; Cumq; S. Petrus concreditam sibi quoq; illo ipso tempore habuerit eandem,*

Nec 2. è Pauli pro Ecclesiis omnibus curâ ac contentione.

eandem, sequitur fuisse duo simul Ecclesiæ capita visibilia, & duos pontifices. Sic ex hoc loco *Anonymus* argumentatur. Quid tu verò ad hæc *Raynaude*? *Nihil*, inquis, *facilius, quam hanc difficultatem elidere*. Censes etiam abundè id à te præstitum duabus illis responsionibus, quas affers. *Prima* est: Esse hîc synechdochen totius pro parte in scripturâ juxta *Hieron.* & *Augustinum* satis frequentem: *Ait*, inquis, *Apostolus, se premi omnium Ecclesiarum sollicitudine, non quidem omnium absolutè; quia earum, quas alii plantarunt Apostoli, præsertim procul dissitarum procuratione non urgebatur; sed omnium illarum Ecclesiarum quas ipse erexerat, vel quæ in vicinià erant, & ad quas excurrerat.* *Altera*, quam addis responsio est, *si vel maximè ad universum orbem istam curam se extendere concedatur, nihil tamen illam ad totius orbis Pontificatum Paulo vendicandum facere, cum per sollicitudinem istam nihil intelligatur aliud, quam animus ac studium juvandi omnes totius orbis Ecclesias: Hoc autem ad dignitatem Capitis non sufficere.* Addit *Rod: de Arriaga tertiam* responsionem in refutatione hujus *Anonymi* Sorboniſtæ tom: 5. disp. Theol. in secund. secundæ Thom. p. 124. ubi concedit 1. hanc *Pauli* sollicitudinem ad omnes Ecclesias se extendisse, non ad quasdam saltem. Concedit 2. fuisse eam *Pauli*, non modò, ut *Doctoris* aut Concionatoris, sed ut *Pastoris*. Concedit 3. fuisse istam non solius *charitatis*, aut *zeli* sed *justitiæ*. Dicit tamen 4. fuisse eam *Petro* subordinatam: Atq; ita summam non fuisse contendit, & per consequens nec *summi* juxta Petrum *pontificis*: Hæc vestra sunt de hac *Paulina* curâ judicia: Nihil facilius, quam hanc difficultatem hisce modis elidere censes *Raynaude*. Dicam tibi ingenuè, nec dubito quin cum veniâ tuâ, quid hac de re sentiam.

§. 4. *Prima responsio* tua planè mihi non probatur, nec sine manifestâ textus Apostolici depravatione admitti potest.

Paulus

Paulus expresse de *Omnibus* Ecclesiis loquitur; tu ad *quasdam* curas ejus restringis: Quæ hæc audacia? dicam an temeritas? Fateor, non insolens esse scripturæ S. uti *Synechdoche* totius pro parte, & contrà: Exempla ejus sexcenta possent produci: Quî verò probabis in censum eorum hoc etiam pertinere? Ego nullam ejus in contextu deprehendo rationem: Citrà prægnantem verò causam â literâ non adducor ut discedam. Hanc igitur aut ostende, aut πρεβλήτῃ & interim esto reus, & ad *primam* responsionem tuam frontem, si quam habes, perfrica. *Plenior* est *altera*, & ad omnes *Anonymi* tui technas retundendas sufficiens. Quanquam n. *Paulus*, quod ait, curam gesserit πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, inde tn. non sequitur, eum propterea *Caput Ecclesiæ* dicendum: Quæ enim ista *Paulina* cura? aut quo eam pacto exercuit *Paulus*? *Affectu* sanè *interno* ex summâ charitate, quâ sic volebat prospectum Ecclesiis, ut nihil accideret, quod eis non proficeret ædificandis, ubicunq; terrarum aut essent, aut imposterum essent futuræ. Quin *opere* etiam *externo* hanc suam pro omnibus Ecclesiis curam demonstravit: Non *prædicatione* quidem: hæc enim ne fieri quidem ab ipso potuit: Replevit ille quidē istâ omnem illū tractum ab *Hierusalem* usq; ad *Illyricum*; Sed quid iste ad Universas orbis Ecclesias? *Scriptione* igitur rectè dici potest curam suam pro omnibus Ecclesiis exeruisse: scripsit enim suas Epistolas si non ad *omnes Ecclesias*, tamen *omnibus Ecclesiis*, cum usui, tum commodo: Hinc autem nihil ad *Paulum* primatus, nihil dominii. Fateor, *si sollicitudinem omnium Ecclesiarum habere idem esset, quod omnes Ecclesias regere Monarchicè, iisdemq; præesse Archontice, tum haberet profectò Anonymus noster, de quo sibi gratularetur*; At verò illud nunquam dabit evictum. Certe *Gregorius M.* Epist. 32. lib. 4. de *Petro* etiam πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν curam prædicat, nec tamen inde aliquid in universam Ec-

 clesiam

cleſiam dominii arguit. *Cura*, inquit, *ei totius Eccleſiæ & principatus committitur, & tamen Univerſalis Apoſtolus non vocatur.* Imò *Cyprianus* Epiſtolâ 69. ei curæ vult omnes Epiſcopos incumbere; *Etſi Paſtores*, inquit, *multi ſumus, unum tamen gregem paſcimus, & oves univerſas quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſivit, colligere & fovere debemus.* Quæ ſi *vera* ſunt, uti *revera* ſunt, tum profectò neceſſum eſt eſſe diverſa, *curam habere omnium Eccleſiarum* & *omnes Eccleſias Archonticè gubernare:* ac proindeab hac curâ ad Pontificatum malè concludit *Anonymus.*

§. 5. Ac quid nî diverſa iſthæc forent? ſanè qui regit alios, is eosdem quos regit, ſibi habet ſubditos, ſi verè regit: At curam gerere poteſt quilibet etiam eorum, qui ipſi non ſunt ſubditi: Ita *Cyrillus Alexandrinus* Epiſcopus ad Clerũ & populũm *Conſtantinopolit:* ſcribit in *Actis Synodi Epheſinæ*, ſe curam illorum gerere: Quid verò *Conſtantinopolis* ad *Alexandrinum* Epiſcopum? *Cœleſtinus* etiam *Romanus*, ad Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Clerum & populum Catholicum *Conſtantinopolitanum* in Actis ejusdem Synodi: Ἡμᾶς, inquit, πατρικῆς φροντίδος ὑμᾶς ὑπὲρ ὑμῶν καιόντος, ἀλλοτρίῳ πυρὶ ἐνεπρήσθημεν: *Nos paternâ curâ, quã gerimus de vobis, urente alieno igne, incenſi ſumus. Alienũ ignẽ* appellat ea, quæ Eccleſiam Conſtantinopolitanã perturbabant: Quod quo ſenſu dici potuiſſet, rectè inquit *Chamier* lib. 10. *Panſtrat.* tom. 2. ſi ad *Cœleſtinum* Conſtantinopolitana negotia proprio jure pertinerent, tanquam ad Monarcham: Non eſt is certè alienus Regi, qui aliquam ſuarum provinciarum infeſtat, ſed domeſticus: Itaq; cum ſic locutus eſt *Cœleſtinus*, indicavit Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſibi non eſſe ſubjectam, & oſtendit ſimul, poſſe nos alienorũ curam gerere. Viden', quam nihil ex hac curâ ad alterum Viſibile *Anonymi* caput commodi? Quantum verò inde tuo incõmodi, ſatis maturè tibi in ſubſequentibus ſignificabitur *Raynaude.* §. 6.

§. 6. *Tertia*, quam *Rod.* de *Arriaga* addit responsio nullo prorsus nititur fundamento. Quæ concedit libenter acceptamus: Quod verò contendit, *Pauli* curã *Petrinæ* fuisse subordinatã, id eâdẽ quâ ille verũ, nos facilitate falsũ esse pronuntiamus. Ex textu glossæ hujus fundamenta proferre debebat *Arriaga*, aut firmis eam rationibus ex Analogiâ fidei petitis confirmare: *Illud* nequit; in toto enim hoc contextu Paulus nuspiam *subordinationis* alicujus meminit, nec unquã aliàs: *Hoc* quidem contendit, sed irrito conatu: Rationem enim, quam profert, ex *Analogiâ* non *veræ*, sed *suæ* fidei desumpsit, imò ex *Antilogiâ* veræ. *Rogo te*, inquit, *mi Anonyme, si colligis hanc curam Pauli non fuisse Petro subordinatam, certè eodem tenore Joannes & Jacobus dicere potuerunt, se premi sollicitudine omnium Ecclesiarum; Jacobus sanè & Judas, quos tu tamen non audes æquare Petro, omnibus in Christum credentibus, omnibus Judæis per universum orbem dispersis, tanquam jurisdictionem in illos habentes, eosq; & instruentes, & eis imperantes, suas Epistolas miserunt: dicere sanè illi poterant, se solicitudine omnium Ecclesiarum premi; quid ergò hìc magis pro Paulo, quam pro reliquis infers?* Nihil, inquam ego, quicquid etiam *Anonymus. Vera* sunt, quæ inde prodeunt licet utriq; vestrũ falsa fortè videantur: *Verum* est, *inquam*, imò verissimum, sollicitudinem omnium Ecclesiarum omnibus simul Apostolis æquè incubuisse. *Verum* est porrò, *Jacobum & Judam* & quẽvis alium non minus quam *Paulum* aut *Petrum* idem omnibꝰ in Christum credentibus, omnibus Judæis per universum orbem dispersis (A page hinc cum Imperio aut jurisdictione formali & propriè sic dictâ) dicere aut scribere de se potuisse, quod hìc Paulus: *Verum* igitur non potest non esse nihil ex hac curâ magis pro *Paulo*, quam pro reliquis jurisdictionis ac potestatis inferri posse: Nec tale quid inferri debet, cum omnimoda Apostolorum æqualitas, quam supra

prolixè evicimus, id non admittat. *Analogon* igitur omninò fidei est, quod *Anonymo* eidē *Antilogon* existimat, & repudiat idcircò. Nec est, quod *Arriaga* tanti, hanc de subordinatione & dependentiâ curæ Paulinæ à Petrinâ, propterea faciat sententiam, quod putet se in eâ *mentem* & *sensum* assecutum Sanctissimi sui *Innocentii* & Eminentissimorum *Cardinalium* s. Inquisitionis in *Bullâ* adversus hunc *Anonymum*; sit enim Sanctissimi sui *Innocentii mentem*, sit Cardinalium *sensum* assecutus: Quid hoc ad rem? sit amicus *Innocentius*! sint amici *Cardinales*, magis tamen amica *veritas*: Non ad *mentem* & *sensum* istorum, sed ad *sensus* mentisq; *veritatem* respicere debebat *Arriaga*. Nobis potior est *mens* Domini, *sensusq;* Spiritus S. Huic conforme non est, quod isti sentiunt, *Pauli* scilicet curam aut Jurisdictionem in Ecclesiam *Petrinæ* fuisse subjectam aut subordinatam. Est hic ἀδόκιμος νῦς: Qui ita sentiunt, sunt διαφθαρμένοι τὸν νῦν: ἡμεῖς δὲ νῦν χριστοῦ ἔχομεν 1. Cor. 2, 16. cui quod adversum, ἀνάθεμα ἔστω. Et hoc de altero *Anonymi* pro Pauli sui *Pontificatu*, argumento, vestrisq; ad illud Responsionibus.

Nec 3. è Pauli ad gentes peculiari ab legatione.

§. 7. *Tertium* & postremum ex scripturâ profert illud ex Epistolâ ad *Galatas c. 2.* Ubi *Paulus* de se ipso fatetur, *sibi fuisse concreditum Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis, & eundem, qui per Petrum efficax fuit ad Apostolatum circumcisionis, per se quoq; efficacem fuisse apud gentes.* v. 7. & 8. *Ex quo* loco infert *Paulini* Pontificatus assertor, *S. Paulum non minus fuisse Ecclesiæ præfectum universalem, quam S. Petrum: Paulum etiam fuisse Episcopum Romanum particularem, cum Roma fuerit gentium Metropolis:* Et indidem colligit, *quantum doctrina, quam proponit, conferat Rom. Ecclesiæ, cujus Episcopus succedendo S. S. Petro & Paulo connectit in se totius orbis Pontificatum, & Judæis ob S. Petrum, & gentibus ob S. Paulum jurisdictioni suæ obnoxiis.* Hanc *Anonymi* tui argumentationem multorum

crimi-

criminum arguis *Raynaude*, & reſponſione vix dignam cenſes. *Hæc argumentatio*, inquis, *non modò eſt telum imbelle, ſine ictu, ſed etiam multipliciter adverſario incommodat, & ejus vel imperitiam, vel malignitatem aperit.* Videamus ſtrictim, quid in iſtâ accuſes, aut quare eandem perſtringas. Dicis 1. non officere tibi id argumentum. Dicis 2. *Petrum* à curâ gentium non fuiſſe planè excluſum. Dicis *tertiò* excludere *Petrum* jure prædicandi gentibus, & negare præfecturam Eccleſiæ eidem à Chriſto commiſſam, fuiſſe extenſam ad gentes, eſſe manifeſtam hæreſin. Diſpiciendum hîc paucis quo jure iſthæc omnia dicas, aut quo pacto iſthæc dicta probes. Et 1. quidem non officere tibi id argumẽtum dum aſſeris, ita infis: Etiamſi, *inquis*, demus, S. Paulum à Deo accepiſſe peculiare munus prædicandi gentibus, quæ tamen conſecutio eſt: Igitur Paulus eſt par Petro in ratione CAPITIS totius Eccleſiæ? Negas igitur conſequentiam ex eo, quod *Petri* cura & præfectura fuerit univerſalis totius Eccleſiæ, *Pauli* verò particularis ſaltem, Gentium ſcilicet, & idcircò hic iſti, ceu æqualis jungi nequeat: Fateor *Raynaude*, nihil id argumentum tibi officere, ſi CAPUT, niſi univerſæ *Eccleſiæ* Caput ſit, nullum agnoſcit *Anonymus*, ipſum verò *Paulum* ſolarum gentium Apoſtolum fuiſſe exiſtimat. At verò prius nuſpiam facit, quin contrarium potius: *Petrum* enim dum à præfecturâ gentium (Ita enim videtur) excludit, & CAPUT tamen eundem Eccleſiæ agnoſcit, quoddam non Univerſæ, ſed particularis Eccleſiæ CAPUT admittit, & propterea ſi id diſcrimen verùm, rectè *Paulum*, utpote Gentium Caput, *Petro* Judæorum Capiti confert in ratione Capitis Eccleſiæ. Poſſet igitur obvertere, malè negare te conſequentiam ſuam ex eo, quod Petri præfectura fuerit univerſalis: Hoc enim eſſe falſum, cum ad ſolos *Judæos* ſe extenderit: aut ſi propterea Univerſalis iſta foret dicenda,

quod ad omnes Judæōs pertinuerit, *Pauli* non minus Universalem fore, eò quod ad omnes ista gentes; Hactenus igitur omninò officeret, & onus probandi in se porrò devolveret. Interim tamen toto cœlo errat, quod 2. mones, si *Petrum* à curâ & jure prædicandi gentibus planè excludit, eandemq; soli *Paulo* assignat. *Petrum* enim ad hanc curam divinitus fuisse excitatum luculenter omninò probat illa visio objecti lintei, immunda animalia ab eo manducanda continentis. Act. 10. Ipse etiam suomet exemplo id comprobavit, dum ad *Cornelium* Centurionem intravit, & illi cum familiâ universâ, verbum Evangelii ad salutem prædicavit. Quî ergò à jure & curâ prædicandi gentibus prorsus excluſus poterit esse *Petrus*? Nec huic obstat, quod ipse *Paulus loc. cit. dicit*, sibi concreditum fuisse Evangelium præputii, sicut *Petro* circumcisionis, & quod dexteras sibi dederint societatis, ut ipse inter gentes, *Petrus* verò inter circumcisos prædicaret; Nec enim ita concreditum *Paulo* Evangelium præputii fuisse censendū est, ut nunquam Judæis prædicaret; neq; ita *Petro* circumcisionis, ut nunquam gentibus; nec ita fœdus illud initum fuit inter *Petrum* & *Paulum*, ut *Petrus* tantum Judæis aut in Judæâ, *Paulus* autem tantum gentibus aut extrà Judæam prædicaret; uti enim de *Petro* contrarium suprà accepimus, ita de *Paulo* etiam legimus, quod ingressus in Synagogas prædicaverit Jesum, affirmans quod ille sit Christus, & confuderit Judæos, uti constat ex Act. 3. & 9. & 15. In hoc igitur conventum fuit inter *Paulum* & *Petrum*, ut quisq; prædicaret quidem omnibus & ubicunq; vellet, *principaliter* verò & potissimum *Judæis Petrus*, *gentibus* verò principaliter *Paulus*: Ratio hæc erat, quod, ceu rectè addis, *Paulus* implacabilibus flagraret Judæorum odiis, adeoque minus aptus esset ad Evangelium apud eos cum fructu prædicandum; Quo fructuosæ Evangelicæ

gelicæ prædicationis obstaculo carebat apud gentes, quibus non erat exosus. Atq; ita *Petrus*, quia Judæi erant illi non adeò infensi ac *Paulo*, quem prævaricatum credebant, fructuosius Judæos poterat excolere, præterquam quod potior erat, aut videbatur certè eorum conditio, quia ex ipsis gloria, ex ipsis testamentum & radix bonorum omnium. Quamobrem *Petro*, tanquam omnium primo peculiaris eorum cura maximè congruebat. Sic igitur *Petrus* apud *Judæos* laborabat, ut non planè à *Gentibus* excluſus; sic item *Paulus* ad *gentes* destinatus, ut à Judæorum informatione non prorsus fuerit sequestratus: Quod si fortè *Anonymus* noster perget contrarium tueri, proferat illius rationes evidentes, nostrasq; quas adduximus, falsitatis, si potest, convincat; sin minus, inter errantes, malæq; causæ turpes patronos eum recensebimus. An verò propterea à *manifestæ hæreseos* dica ipsi sit scribenda, quod *facis tertiò*, de eo non idem planè tecum sentio, *Raynaude*. Tu quidem, non video, quî possis aliter, si hypotheses tuas volueris φυλάτ̃ειν: Certum enim est, excludi non posse *Petrum* jure prædicandi gentibus, nisi *Ampliſſimæ* & Universaliſſimæ rectioni ovium, quàm ipsi à Christo assignatam contendis, immane quantum derogetur. Hoc autem sine hæreseos notâ abs quoquam juxta vos fieri non posse, non mirabitur, qui βάσιν & columnam totius Ecclesiæ vestræ, primatum *Petri* esse non ignoraverit. Quod si verò hæc βάσις de Petri primatu, seu Universaliſſimâ & ampliſſimâ rectione ovium, ipsi à Christo concreditâ fuerit eversa, quod paulò post tentabimus, liberabitur, spero, Anonymus à manifestâ hæresi, & ad errantes opportunè reducetur.

§. 8. Quicquid verò sit hujus, sufficiat hîc nobis, quod CAPITI suo parum roboris ex scripturâ addiderit hactenus: In hoc certè nihilo plus invenit, quam in prioribus dictis.

dictis. Quæ enim hæc consequentia? *Paulus* prædicavit gentibus Evangelium ex pacto convento cum *Petro*, E. juxta cum *Petro solus* est Præfectus Universalis, & *Caput* Ecclesiæ. Unde illud τὸ *solus* in Consequente? In Antecedente sanè nec fuit, nec esse potest citra insignem textus injuriam. Non enim conventum fuit inter *Paulum* & *Petrum*, ut *solus Paulus* prædicaret gentibus; nec inter *solum Paulum* & *Petrum* hac de re conventum fuit. Verba textus hæc sunt Galat. 2. v. 9. οἱ δοκοῦντες, inquit Paulus, στῦλοι εἶναι δεξιὰς ἔδωκεν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας, ἵνα ἡμεῖς εἰς τὰ ἔθνη &c. *Non solus Paulus* igitur pactus est cum *Petro*, sed cum eo *Barnabas*, ut prædicaret gentibus Evangelium, *non solis* sed præcipuè, idq; *non solus*, sed cum *Barnabâ*, cæterisq;, quotquot erant cum ipso. Aut igitur *Barnabas* alterum, juxta *Paulum*, *Caput* erit gentium, aut *Paulus* planè non erit, quia *Paulo* nihil præ *Barnabâ* seorsim, aut peculiaris hîc indulgetur: quod ipsum quomodo declinare velit *Anonymus* ipse viderit. Certum igitur est, *Anonymum* frustra pro Pontificatu *Pauli* sui scripturas allegare, & ex his abundè constat, opinor, sententiam ejus non monstrositatis modo ream, sed & ἄγραφον & ἀντίγραφον esse.

Quamvis Petrino etiam suprematui adversetur

§ 9. Nolo tamen istas scripturas, quas hactenus pro CAPITE *suo* produxit *Anonymus*, ita transire, aut planè dimittere. Non juvant istæ quidem illum, ceu vidimus, me tn. profectò quamplurimum, cum uti illis denuò liceat peropportunè in *tui ipsius*, de quo laborabas illas avertere, CAPITIS Ecclesiæ visibilis pernitiem. Atq; ut à postremo loco scripturæ, quem allegat *Anonymus* initium faciam; vide quæso *Raynaude*, quantum ille CAPITI tuo, *Petro* sc. adversetur. Dicit isthîc *Paulus* (neq; enim possum quin aurea ista verba repetam) *Jacobum, Petrum & Johannem, qui videbantur columnæ esse, societatis dextras dedisse sibi & Barnabæ ut ipsi inter gentes, illi verò inter Judæos prædicarēt.* Deus Bone!

Tam hæc

quot

quot hic adversus *Petri* Primatum documenta! quot pro sanctâ veritate argumenta! quot pro Apostolicâ æqualitate omnimodâ fundamenta! Non jam dicam 1. de *Petri* post *Paulum* locatione; Nec adducam 2. columnæ s. στύλου nomen, quod *Jacobo* & *Johanni* non minus, quam *Petro* tribuitur à *Paulo*. Nec memorabo 3. porrectionem illam δεξιῶν κοινωνίας inter Apostolos factam, quæ non solet inter caput & membra fieri: Hæc & alia lubens, inquam, brevitatis studio prætereo: De transactione ista saltem agam, deque distributione laborum & nationum inter *Petrum* & *Paulum* unde paritatem utriusq; in Pontificatu contendit evincere *Anonymus*. Ego de paritate in Pontificatu planè non laboro; *Paulum* inde tecum deturbavi ex hoc loco: Ex eodem Petrum deturbo, & in hoc parem utrumq; esse volo hoc argumento: *Si Paulo commissum in hac transactione fuit Evangelium* τῆς ἀκροβυστίας, *præputii, s. inter gentes præputiatas prædicandum, sicut Petro commissum est inter circumcisos s. Judæos, utiq; Petrus & Paulus non habent se ut caput & membra, ut superior & inferior, sed ut prorsus æquales in auctoritate & potestate. At prius dicitur expresse in textu.* E. posterius falsum esse nequit. Consequentiam si negas *Raynaude*, (neq; enim potes aliter) solem in meridie lucere negas eadem operâ: Radiat enim illa naturali suâ luce. Nam profectò labores officii non dividi solent inter superiorem & inferiorem: Manet superiori influxus in omnes administrationis partes: sic non dividuntur provinciæ inter Regem & ejus Magistratus, sed tantum inter Magistratus, qui singuli singulis præsunt. Sic Romæ semper Consulibus ita distribuebantur istæ, ut vel assignarentur istis Senatusconsultò, vel plebiscito, vel ipsi inter se istas compararent. Nunquam verò fiebat ista distributio inter populum & Consules: Quinimò reverà absurdum est, ut is, qui sibi autoritatem retinet in omnes provincias, cum

iis sortiri dicatur, qui ei subsunt, & quibus singulæ tantum assignantur. Quidnî igitur in *Petro* & *Paulo* id esset absurdum? *Paulus* enim id disertè testatur loc. cit. nec id simpliciter, sed disertius addit καθὼς, mihi sicut & Petro, quæ phrasis æqualitatem certè maximam significat. Quod ipsum adeò manifestum est ac evidens, ut *Oecumenius* ad h. l. non tam dicat, quam exclamet, ὅρα, ὡς ἑαυτὸν (sc. Paulus) ἐξισῷ τῷ Πέτρῳ: Vide, quomodo se Petro æquet. *Egregiè* etiam ad h.l. *Ambrosius*, vel quisquis sub ejus nomine auctor commentariorum hujus loci: *Petrum solum*, inquit, *nominat & sibi comparat, quia primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam: se quoq; pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis gentium Ecclesiis: ita tamen ut & Petrus gentibus prædicaret, si causa fuisset, & Paulus Judæis; nam uterq; invenitur utrumq; fecisse. Sed tamen plena autoritas in prædicatione Judaismi Petro data dignoscitur. Et Pauli perfecta autoritas in prædicatione gentium invenitur, unde & Magistrum se gentium vocat in fide & veritate.* *Præclarè* porrò *Chrysostomus* h. l. δάκτυσιν, inquit, αὐτοῖς ὁμότιμον ὄντα λοιπὸν, καὶ ὁ τοῖς ἄλλοις ἑαυτὸν, ἀλλὰ τῷ κορυφαίῳ συγκρίνει, δεικνὺς, ὅλη τῆς αὐτῆς ἕκας & ἀπέλαυσεν ἀξίας. h. e. Jam se iis honore parem ostendit, nec se aliis, sed ipsi summo comparat, significans utrumque æqualem sortitum esse dignitatem. *Glossa Ordinaria* ita reddit: *Ut essem primus in prædicatione gentium, sicut Petrus in circumcisione.*

§. 10. Vides quanto omnes consensu ac zelo æqualitatem *Petri* & *Pauli* ex hoc loco demonstrent, *Raynaude?* Viden' quanti sit inde roboris ad *Petri* primatum evertendum, argumentum! Viderunt id pridem istius Patroni & assertores, quapropter omnes intenderunt catervatim nervos, omnesq; vestigarunt rimulas, quò, si queant, vim veritatis effugerent. Liquet id ex *Bellarmini* c. 16. lib. 1. de Pontif. *Baronii* ad Ann. 51. §. 26. & seqq. *Sanderi* c. 6. lib. 6. de Monarchiâ:

narchiâ? Varias isti afferunt solutiones, sed oppidò infirmas. Quid enim illud 1. quod obvertunt, *non de jure divino, sed de facto, hanc transactionem inter Paulum & Petrum factam esse s. contigisse?* Quasi verò ex facto Apostolico per publicam Sp. S. testificationem probato, jus divinum interpretari non liceret? Talia certè facta Apostolorum, quæq; taliter comprobata & illustrata juri divino non debent derogare. *Nec* est quod dicant 2. *distributionem eam non fuisse Jurisdictionis, sed provinciarum, ut Petrus prædicaret omnibus & ubicunq; vellet, principaliter tamen Judæis, Paulus pariter ubiq; & omnibus, principaliter tamen gentibus:* Imò verò; est ita omninò: Jurisdictio, s. autoritas Apostolica non est divisa, Fateor, non partem illius sibi sumpsit *Paulus*, partem verò *Petro* reliquit, sed omnes Apostolatus partes & *Paulo* inter gentes, & *Petro* inter Judæos pleno jure conservatæ sunt: Certum igitur est solas provincias isthoc pacto distributas esse. Sed & hæc provinciarum distributio *Petrino* primatui Oecumenico multimodis obstat. Nam qui *caput* est summum Universale & Visibile Ecclesiæ, is ubicunq; prædicatur, principaliter prædicat, tanquam à cujus influentiâ, dispositione & directione tanquam Pastoris Pastorum, omnis emanat prædicatio: Imò stante hac regestione manet tamen æqualitas inter Petrum & Paulum: si enim ut Petrus Judæis, sic Paulus gentibus, uterq; *Principaliter* prædicavit, utiq; in hoc non possunt sibi non æquales esse hi Apostoli. *Exemplum* etiam Christi, quod quidam *pro tertiâ* solutione afferunt, planè est impertinens & ἀπόσκοπον: Existimant scilicet isti, *non obstare Universali Petri in Ecclesiam præfecturæ, quod Circumcisionis Apostolus hic vocetur, quia & Christus ita appellatus est, & nihilo tamen minus omnium ovium fuit Pastor & moderator:* Quasi verò Christus etiam, ceu *Petrus* sortitus fuerit cum quopiam de Apostolatu! Quasi verò Christus

ita dicatur prædicasse Judæis, ut alius quispiam ab ipso contradistinctus gentibus! Equidem putaverim Christum ex decreto divinitus ordine, non ex κοινωνίᾳ & transactione fuisse Apostolum circumcisionis. Itaq; argumentum non inde ducitur, quod *Petrus* fuerit Apostolus Judæorum; sed hinc potius, quod fuerit Pastor s. Apostolus Judæorum, *sicut* Paulus gentium. *Denig;* non solvunt hoc nostrum argumentum, *qui honorificentius Petri quam Pauli munus ex eo fuisse contendunt, quod ipse Dominus per se Judæis prædicare voluit, gentibus autem per discipulos; quodq; Paulus Judæos Oleæ, gentes autem Oleastris comparet;* Nulla enim hîc planè consequentia: Aut si quæ est, sequetur ex primo, Romanam Ecclesiam, ejusdemq; Episcopum Hierosolymitano jure meritoq; inferiorem esse: Neque enim Romæ, sed Hierosolymis Christus prædicavit, passus, mortuus est &c. Oleæ autem & oleastri ista comparatio non honoris inter *Paulum* & *Petrum*, sed temporis inter Judæos & gentes in æqualitatem arguit, s. prioritatem & posterioritatem. Priores gentilibus hoc ipso innuuntur Judæi, eò quod hi ante illos vocati fuerunt in Ecclesiam Dei; posteriores autem gentes, quia ab illis ad has Ecclesia translata est. Et esto: sit ex nobilitate gentis Judaicæ aliqua *Petri* prærogativa honoris: sit aliqua inde πρωτοσία! At hæc sola ad Primatum Oecumenicum & ἐξουσίαν in Ecclesiâ non sufficit: Jurisdictionis & potestatis Ecclesiasticæ ἐξουσία ad hunc requiritur: Hanc autem *Petro* præ *Paulo* competisse pernegamus: Et hæ sunt, quas argumento nostro contra *Petri* primatum, opponunt solutiones complices tui, *Raynaude*, quas vel sic resolutas satis, non dubito. Profer, si quas habes, meliores, aut agnosce vim veritatis. & ex loco hoc Paulino, Gal. 2. *Caput* tuum Visibile, *Petrum* unà cum altero *Anonymi* æquè decollari, ac præcipitari fer, sodes, patienter.

§. 11. Non

§. 11. Non possum tamen postremum, quin addam *Rod. de Arriaga* responsionem ad hoc argumentum, quam dat *Anonymo* loco sæpius allegato: *Quid ex hoc loco*, inquit, *concludes? An Barnabam tertium dices Ecclesiæ Caput? An Jacobum & Johannem pares facies Cephæ, s. Petro in auctoritate & Jurisdictione Ecclesiastica? Nonne ex his manifestissimè liquet, nullum alium ibi, nisi de prædicatione Evangelicâ sermonem esse? Quomodo ergò de Pauli Apostoli primatu quidquam inde elicere potuisti? Anonymo*, fateor, ista satis asperè & verè sunt dicta: Viderit ille, quid ad hæc respõdeat: Possem equidē sine negotio hîc partes ejus tueri, si vellem ὑπὲρ τὰ ἑσκαμμένα πηδᾶν sed hoc nolo, cum *malæ causæ* quamvis *optimè* patrocinari non sit Boni Viri. Dicam igitur & faciam hîc saltem, quod mearum est partium: An Barnabam, inquis, *Arriaga*, ex hoc loco tertium dices CAPUT Ecclesiæ? Imò verò (mihi enim id jam dictum putabo) inquam *Arriaga:* Eodem certè jure ex hoc loco dicere possum BARNABAM Caput Ecclesiæ, quo ille *Paulum*, tu verò *Petrum:* Nec *Barnabam* saltem, sed *Jacobum*, sed *Johannem* etiam: Quid obstat? *Transactio* inter omnes est instituta: *prædicatio* omnibus decreta: *partitio* provinciarum ab omnibus approbata: Nihil hic *Petro* peculiare, quod non omnibus fuerit commune: quod si hunc igitur *CAPUT esse ex hoc loco* probari potest, quidni etiam cæteros ad unum omnes? Quinimò si cæteros *Petro* prorsus æquales esse ex hoc loco demonstrari potest, quod factum, sporo, evidenter, nec hic Caput erit, aut cæteri cum ipso eadem gaudebunt prærogativa: *An Jacobum*, ita pergis, *& Johannem pares facies Cephæ s. Petro in auctoritate & jurisdictione:* Imò & hoc facio, *Arriaga*, & feci identidem suprà ex multis argumentis. Non solus *Petrus* σύλλογος, sed omnes dicuntur: Non soli *Petro* cessit provincia Judæorum, sed his unà. Nullius hic quidem jurisdictionis Ecclesiasticæ fit

mentio; si quæ tamen ista, non *Jacobo* certè minus & *Johanni*, quam Petro ista competit. Nec de solâ hic prædicatione Evangelicâ sermo est, *Arriaga*, sed de distributione etiam provinciarum ad prædicationem Evangelicam: Hæc est, quam urgemus: Hæc *Petrinum* suprematum possundat: Quamvis igitur nihil hîc pro *Pauli* primatu, aut potius Pontificatu, nihil tamen etiam pro *Petrino*: Et hoc mihi sufficit.

§. 12. Ex his igitur evidenter constat, quomodo *primus* iste scripturæ locus, quem allegat *Anonymus*, non ejus modò CAPITI non prosit, sed tuo etiã non leve discrimen accersat. Transeamus ad *alterum* de Curâ omnium Ecclesiarum *Paulo* incumbente *2. Cor. 11, 28.* Egregius profectò pro commendatione *Pauli* est hic locus, ita ut non mirum, quod *Anonymus* isto ad *Pauli* sui Pontificatum astruendum sit usus. Enimverò *Raynaude*, si vobis pro *Petro*, vestro CAPITE talis locus, tamq; manifestus suppeteret in scripturâ, quantoperè vos exultaretis, quot jubila, quot ampullas, quot sesquipedalia verba ingeminaretis? Quid enim vobis pro primatu *Petri* vestri, præter illud: *Tu es Petrus, & super hanc Petram* &c. & *Dabo tibi claves* &c. & *Pasce oves meas*? Hæc, inquam, potissima principatus *Petrini* sunt documenta: At meræ profectò Metaphoræ, & peregrinæ allegoriæ, de quarum genuino sensu sub judice vestro lis est non una. Hìc verò *Paulus* de se planè & perspicuè dicit, *sollicitudinem omnium Ecclesiarum se gerere:* Quid hoc clarius? Quid evidentius esse potest? Non certè dubito, quin omnes vestras Metaphoras, omnes probationes libenter essetis deserturi, si unicum hoc Pauli pro Petro vobis concedi posset. Certè *Bellarminus* tanti facit hunc locum, ut exinde probet possibile esse ab uno homine universas Ecclesias regi: lib. 1. de Rom. Pont. c. 16. *Sanderus* etiam de Visib. Monarch. Eccl. l. 3. c. 1.

Quam illa.

Pauli

Pauli solicitudinem talem omninò dicit esse, qualem nos (inquit de se suisq;) *Pontifici Romano hodiè vindicamus.* Quod ipsum quamvis in se falsum sit, propterea tamen notari meretur, quod solicitudinem illam & rectionis possibilitatem *non à Petro* ad Pontificē, sed à *Paulo* accersere & derivare cogātur. Dixerit igitur Christus ad Petrum pasce oves meas, pasce agnos meos h. est demandaverit ipsi curā & sollicitudinem regendæ Ecclesiæ: sanè in hoc *Petrus* nullo major Apostolorum: Omnes enim, ceu mox demonstrabitur, jussi sunt μαθητεύειν, καὶ βόσκειν Matth. 28, 19. Marci 16, 15. hoc est docendo & baptizando procurare salutē Ecclesiæ: *Paulus* in hoc etiam *Petro examussim* æqualis, cum hanc de se curam exsertis verbis profiteatur. Sic ex hac etiam curâ infringitur *Petri* principatus & prærogativa *Raynaude*.

§. 13. *Tertium* deniq; *Anonymi* argumentum, quod ex *Aaronis* & *Mosis* Pontificatu desumpsit, non parùm mihi prodest ad præcidendam tibi non minus, quam illi ansam, ex Analogiâ Vet. Testamenti pro *Capite* vestro argumentandi. Notum est, quàm id vobis sit frequens, ac ferè perpetuum, ut in stabiliendo *Petri* ac Pontificis suprematu ad V. Test. Analogiam recurratis, quasi multum causæ vestræ præsidii inde scaturiat, quod existimat *Roffensis* ad artic. 15. Lutheri, *Bellarminus* lib. 1. de *Pontifice* c. 9 *Becanus* in man. l. 1. c. 4. n. 20. seqq. Idem sibi vobiscum faciendum putavit *Anonymus* pro Bicipiti suâ Ecclesiâ. Quod dum fecit, annon eundem vobiscum erravit errorem? Quæ enim hæc consequentia *Raynaude*? (Idem enim error eâdem responsione potest retundi) *Synagoga Judaica semper gubernata fuit ab uno Visibili Capite, Pontifice sc. Aarone & successoribus: E. Ecclesia quoq; Christiana eodem modo gubernanda per Romanum sc. Pontificem*: Quis ita vos argumentari docuit? Quis, inquam, *Pontificem* V. T. *Romani* typum esse jussit? Non certè sanctus Dei in

Et ista.

scripturâ

scripturâ loquens spiritus; Christi solius typum & exemplar ille dicit fuisse Pontificem Leviticum Hebr. 8. v. 1. 2. 3. seqq. Non *Petri*, nec alterius cujusquā; in hoc saltem hunc ab illo discrepasse docens, quod successores ille habuerit, hic verò sit ἀπαράβατος. Malè igitur ad Pontificem Rom. extenditur, quod ad solum Christum à Spir. S. restringitur? Esto autem: fuerit, inquam Leviticus Vet. Test. Romani typus; fuerit Synagoga Ecclesiæ Christianæ umbra & figura: falsum tamen est Synagogam Judaicam ab uno semper Pontifice fuisse rectam & gubernatam: Longè profectò aliud politiæ Hebrææ historia docet: Fuit illa initiò sub Monarcha ac *Rege* immediato Deo, *Cancellario* Mose, omnia ex ipsius dictamine perficiente ac ordinante: Habuit posteà suos *dictatores Josuam* & *Judices*, quos ἡγεμόνας & ὑποστρατηγὸς appellat *Josephus* lib. 4. Antiquit. 8. Habuit deinde *Senatum* τῶν ἀρίστων cujus respectu primā regiminis formam *Aristocraticam* esse dixit *idem ibid.* successit quidem posteà Monarchia, verum in quâ *Rex* non *Pontifex* Caput fuit. Qui ergò Synagogam ab uno semper visibili capite, Pontifice gubernatam fuisse dici potest? Non est hoc *Analogias*, sed *Anomalias*, & *paralogias* effingere. Quod si vel maximè à Synagogæ Regimine ad Ecclesiæ N. T. Regimen valeret consequentia, ita tamen foret concludendum: *Synagoga fuit umbra Ecclesiæ N T. Synagoga habuit unum summum Pontificem absq; ullo vicario, & ille Pontifex Christum significavit. Ergò in Ecclesiâ Christianâ solus Christus summus est, & absq; vicario; ac proinde præter Christum nullus est agnoscendus summus omnium fidelium Pontifex, nullum CAPUT.* Sic tuum denuò Visibile CAPUT collabascit, *Raynaude.*

§ 14. Hactenus igitur in examinatione locorum scripturæ, quæ affert *Anonymus*, duo præstiti *Raynaude*: 1. nihil ex istis altero visibili Ecclesiæ CAPITI, *Paulo*, roboris addi tecum

ſtrari. Reſtat ut diſquiram, quas tu pro CAPITE tuo ſcripturas alleges, ut inde eluceſcat, utrum majori fortè jure ſcripturas crepes quam iſtum ante feciſſe vidimus; vel num in te etiam quadret illud, quod ad Anonymum haud immeritò transfers *Cyrilli*, qui in adverſariũ ſuũ l. 7. pent. c. 7. *graviter invehitur, eo quod ſcripturis fuerat abuſus ad falſiloquiũ confirmãdũ*, & nũquid ad errones etiã illos pertineas, quos Patres dicunt conſueviſſe ſcripturam prætexere, quo errores ſuos obvelent & excuſent. Tibi certè id non videris *Raynaude*: Quin gloriaris potius, de evidenti pro Capite tuo, & denſo ſuffragiorum agmine, quod ex ſcripturâ tibi præſto eſt; ita ut Lectoris etiam judicio committas, annon multis paraſangis tua fundamenta allata *Anonymi* ſuperent & antecellant. *Æſtimet*, inquis, *æquus Lector ſcripturas, quas adverſarius pro Bicipiti Eccleſiâ adducit, S. Paulum in alterum CAPUT Eccleſiæ provehendo, easq; componat cum locis Scripturæ* (at quænã iſta!) *quibus S. Petrus Paſtor ovium abſolutè ac ſimpliciter, proindeq; ſolus Paſtor ac Rector Eccleſiæ ſtatuitur: nec licebit ambigere, quam vana ſit nova hæc Imaginatio de duplici Eccleſiæ Capite. Diſertè & rotundè ſcriptura teſtatur, S. Petro dictum à Chriſto, PASCE OVES MEAS:* Et: *Tu es Petrus & ſuper hãc Petram ædificabo Eccleſiã meã. Quotquot E. ſunt Chriſti populus, & oves paſcuæ ejus ad rectionem Petri ſpectant, eiq; ſunt obnoxii, etiamſi ſint ſuprà modum Apoſtoli. Item, quotquot pertinent ad ſtructuram domus Dei, ſuntq; lapides vivi Chriſto coædificati, neceſſe eſt, ut ſuprà Petri fundamentum conſtruantur, neq; D. Paulo neq; aliis Apoſtolis excluſis ab eâ verborũ illimitatione, & indefinitate univerſalitati æquivalente.* Hæc ſunt, quæ jactas, ſcripturæ teſtimonia, *Raynaude!* Hæc immota iſthæc & robuſtiſſima ſcilicet! fundamenta, quibus *Petri* Principatus, totiusq; Eccleſiæ Romanæ ſalus innititur! At reverà nimis illa ſunt infirma ac inepta; imò, ſi vel conjungas iſtis alia, vix tamen idonei

Petrum portò Eccleſiæ Caput eſſe non probatur.

nei ērunt instar tibicinis, ad tantæ molis ædificium jam pellucente ruinâ undiq; rimosum sustinēdum; ut profectò non habeas, quod de istorum robore ac efficaciâ tantoperè glorieris.

§. 15. Enimverò, *Raynaude*, dum has mihi scripturas, pro Universali Petri jurisdictione ad Pontificis tui thronum (horsum enim tendunt) stabiliendum producis, dispeream, si non idem mihi feciſſe videris, quod illi, qui de infimæ plebis luto emersi ad divitias aliquas pervenerunt, & opum ope hōnores amplos consequuti sunt. Solent isti, ne videantur ab antiquo pauperes & plebeji fuisse, avos, atavosq; magni nominis comminisci, monumenta nobilitatis, stemmata, imagines, titulosque carioſos consectari, & si nihil aliud possunt, nobilibus tamen & antiquis ex aliquâ nominum affinitate familiis se inserere: Ad eundem planè modum persuadere mihi conaris, *Papam* tuum id, quod nunc est, quodq; longè post Apostolorum tempora cæpit, initiò statim Ecclesiæ Christianæ fuisse, & ab ipsâ primâ institutione talia jura, potestatemq; habuisse, magnisq; dignitatibus perpetuò fuisse gavisum: Quod ut ostendatur, cum alia desint documenta, magnis ad *Petrum* itur passibus; ab hoc omnis deducitur nobilitas; hujus jactatur patrimonium & hæreditas; omnia huic, quæ possidet etiamnū Rom. Pontifex accepta referuntur: Atq; ut ista hæreditaria Majestas eò sit augustior, omnia *Petrum* possedisse, hunc super omnem Ecclesiā, ipsosq; Apostolos eminuisse, huic omnia à Christo collata, cæterisque Apostolis negata asseritur. Hunc, inquā, Monarchā, Regē, Dominū, CAPUT ac Principē totius Ecclesiæ ex instituto & ordinatione divinâ perpetuò fuisse traditur. Et hoc probatur potissimum ex duobus hisce scripturæ locis: PETRE PASCE, & TU ES PETRA: Hæc antiqua ista sunt monumēta Papalis dignitatis:

Hæc

Hæc Petrinæ Ἀρχοντείας clarissima sc. documẽta: Hi fortissimi *Visibilis Ecclesiæ Capitis* tibicines, adversũ quos ne inferorũ quidem portas prævalere posse mirum quin asseras, certè non negas. Ita quidem satis confidenter dicam? an arroganter? de scripturis tuis loqueris, *Raynaude*; rectè tamen facis, quod ad æqui Lectoris judicium ac sententiam provocas: Geram tibi libenter morem, & scripturas, quas producis pro Capite tuo Visibili, accuratiùs ponderabo, ita in omnibus tecum acturus, ut in æquissimum lectorem te incidisse diffiteri non possis, nisi iniquum dicere volueris Sanctissimi spiritus super hac re judicium, ac testimonium.

§. 16. De *Pastoratu Petri* agitur Joh. 21, 15. 16. 17. Verba textus hæc sunt: *Cùm ergò prandissent, dicit Simoni Petro JESUS, Simon Johannis diligis me plus quam hi? Dicit ei, etiam Domine, tu scis quod amem te; Dicit ei, pasce agnos meos;* Idem dicit post eadem *secundò* eidem, *pasce oves meas*, ac rursum *tertiò*, *Pasce oves meas*: Ex hoc loco ita concludis Raynaude; *Hìc S. Petrus*, inquis, *Pastor ovium absolutè ac simpliciter, proindeq; solus Pastor ac Rector Ecclesiæ statuitur. Quotquot Ergò sunt Christi populus, & oves pascuæ ejus, ad rectionem Petri spectant, eiq; sunt obnoxii, etiamsi sint supra modum Apostoli;* Fiat Syllogismus, ut mens tua patefiat;

Nec t.

è demanda- tâ ovium pa- stione.

Cuicunq; soli dicitur à Christo, pasce oves & agnos meos, is solus est Pastor ac Rector Ecclesiæ, ita, ut quotquot sunt Christi populus & oves pascuæ ejus ad ejus rectionem spectent, eiq; sint obnoxii, etiamsi sint supràmodum Apostoli.

Atqui soli Petro dicitur à Christo Joh. 21. Pasce oves, agnos meos. Ergò.

Non video, quì aliter hinc possis argumentari pro Monarchiâ *Petri* Ecclesiasticâ *Raynaude*; sed vide quàm frustrâ, ac ineptè, quantâq; textus sacri cùm depravatione. *Consequens* sanè majoris triplici laborat falsitate;

§.17. *Falsum* 1. solum illum esse Pastorem ovium, cui soli hîc & nunc dicitur pasce oves meas. Quid si Oeconomus quispiã tres quatuorve pastores ob magnam oviũ copiã conductos alens dicat uni eorum cæteris absentibus, Tu *Petre*, vel *Paule*, pasce oves meas, concludesnè exinde, Hic *Petrus* vel *Paulus* est solus Pastor harũ oviũ? Quæ hæc demẽtia? dicam an temeritas? Potest sanè cõpellari persona quædã seorsim peculiari mandato, ita tn. ut à re mandatâ non excludantur aliæ ejusdẽ collegii ac conditionis. Act 20,26. compellabat idem, qui hîc *Petrum*, in viâ Damascena *Paulum*, *ad hoc apparui tibi*, inquiens, *ut constituam te ministrum ac testem &c* Ergòne solus *Paulus* Christi testis ac minister excluso *Petro*, & cæteris Apostolis? Ita & hîc se res habet; *Hi* certè non minus quam *ille* pascere jussi sunt gregem Domini, quamvis non juxtà cum illo seorsim id temporis præcisè; Quid enim illud μιμάινειν *Petro* imperatum aliud est, quam μανθάνειν καὶ διδάσκειν? At hoc omnibus simul Apostolis injunxit Salvator Matth. 28, 19. *Paulus* idem convenire censet quamvis non eodem modo Episcopis illis Actor. 20, 28. dum attendere illos jubet sibi & universo gregi, in quo Spiritus S. illos posuit Episcopos pascere Ecclesiam Dei; Ipse *Petrus* illum Pastoratum sibi soli non arrogat, sed in communionem ejus adsciscit presbyteros, πρεσβυτέρους, inquit, συμπρεσβύτερος, pascite gregem Dei, 1. Epistolàc. 5, 1. Quo ipso evidenter satis ostendit, non soli sibi præceptum ut oves Christi pascceret, sed munus pascendi sibi cum aliis potiùs commune esse, & cum sibi dictum, ad omnes dictũ, pasce oves meas, ut *Augustinus* ait l. de Agone Christ. c. 30. *At non soli modò Petro*, inquies, *hîc dicitur à Christo pasce oves meas, sed tribus diversis quoq; vicibus*; Annon *hoc peculiaris, præ cæteris Apostolis Petro hîc demandatæ pastionis indicium?* Nego, & aliam hîc causam subesse censeo; Verè quidem

Bern-

Bernhardus Serm.2.de resurrect.trinam hanc pascendi commendationem ad triplex gregis dominici pabulum referēs; *Petrus*, inquit, *mandatum accepit pascere tertiò gregem Domini*, *pasce*, inquit, *mente*; *pasce ore*; *pasce opere*; *pasce animi oratione*, *verbi exhortatione*, *exempli exhibitione:* potest a. simpliciter hæc trina ovium cōmendatio eò referri, quod Christus rem non levem, sed seriam ac gravem se tractare indicet, dum ovium suarum pastionem Petro commendat. Et hanc esse talem ob innumeram laborum, odiorum, periculorum adversitatumq; copiam intelligunt illi, qui non oculos aut ventrem suum, sed oves Christi pascunt, ac officii sui partes exactè perpendunt. *Accedit*, quod trinâ hâc ovium commendatione solum *Petrum* præsentibus licet aliis Apostolis etiam ideò alloquatur servator, ut declaret scilicet, se obstantibus pristinis negationibus tribus, quibus oppositas nunc audiat tres amoris confessiones, velle seriò, ut *Petrus* sicuti constitutum erat, unà cum cæteris Apostolatu fungatur, atq; ita animum illi addat, ut sciat, se restitutum esse certò, ac ad se non minùs, quam ad cæteros curam pascendarum ovium pertinere, etsi triplici negatione, ut illo officio excideret, meritus fuisset. Atq; hinc evidenter, spero liquet, falli ac fallere, qui vel Petrum vel alium quenquam solum esse Pastorem ovium dicit, eò quod soli ipsi aut seorsim dicatur aliquando, *pasce oves meas*, idq; iteratò; Quo evicto

§. 18. *Falsum* dico 2. consequens majoris illius, inde quod in eo τὸ *pascere* per τὸ *regere* tanquam synonymum explices; Facit idem, fateor *Gregorius* lib. de curâ Pastorum, *Pastores* vocans *rectores*, *& curam Pastoralem Regimen*, aliiq; *Patrum*, at sensu longè diverso; Tuum illud regere, nisi planè abis à communi complicum tuorum expositione, nihil est aliud, *Raynaude*, quam suprema, qualem suprà descri-

psi, in Ecclesiam universam, ac verè Tyrannicam potestatem exercere, quo certè sensu nemo unquam *Patrum* illud ποιμάινειν accepit, nec à quoquam citrà manifestam vocis hujus in hoc quidem loco detorsionem accipi potest; Quid enim *pascere formaliter* loquendo s. in sensu formali aliud, quam oves ad pascua ducere, errātes reducere, regere quam mollissimè, à lupo defendere, & eis magno cum affectu de necessariis prospicere? *Non includit* sanè *dominatum* vel *Imperium* vox hæc, cum possit esse pastor ovium, qui nō sit earum dominus. Tribuitur quidem per Metaphoram summo omnium Imperatori *Deo*, & *Regibus* mundanis, non tamen ideò quod aptum sit denotare vel absolutum Dei in omnes creaturas dominium, vel summam Regum mundanorum in subditos potestatem, sed ut nobis innotescat, quantâ nos bonitate & clementia gubernet Deus, quantâq; sollicitudine nobis prospiciat: *Sicut visitat pastor gregem suum, sic visitabo (quæ sunt ipsa ejus verba) oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, & educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israël, in rivis & in cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis, ubi requiescent in herbis* &c. *perditum requiram, errans reducam, saucium ligabo, ægrum curabo* Ezechiel. 34, 12. & seqq. Ita *Regibus* hæc vox tribuitur 2. Sam. 5, 2. Ps. 78, 71. Es. 44, 28. ut sui inde commonefiant officii, quod est oves non deglubere, sed tondere ac leniter & diligenter subditos curare; *Quando itaq; Deus, Reges q; mundani dicuntur pascere, tum connotatur quidem dominium, eò quod hi Pastores Metaphorici domini sunt, non tamen propriè & proximè illud denotatur.* Habitudo, inquam, Metaphoræ hujus non est ad designandum dominium, sed affectum, & sedulitatem; Unde patet, primarium significatum in voce Pasce esse, ut qui pascit, cum affectu curâ & sedulitate gregem sibi commissum

missum pascere significetur; consignificatum verò varium esse; pascit enim Deus, pascunt Reges: at aliter iste, aliter hi; Iste ut omnipotens; hi ut Domini, sed terreni; Pascit etiam *Petrus* (quanquam non solùs, sed cum eo Episcopi & Presbyteri, ut ex proximè præcedentibus liquet) sed ut *Apostolus*, non *Rex* aut *Dominus*: ut *Ecclesiæ Doctor, verbo & doctrinâ, Evangelii prædicatione; ἀνθ' ἱερῶν βίβλων*, scripturæ floribus juxta Nonni paraphrasin satis elegantem, *scientiâ & doctrinâ* Jerem. 3, 15. Non igitur sequitur, *Petrus jubetur pascere. Ergo regere Monarchicè, dominari dominio directo & indirecto*; Est hoc argumentari à specie ad speciem; Ipsi Petro hæc sunt opposita. *Pascite* inquit *ad Presbyteros, Dei gregem, non ut κατακυριεύοντες, non ut dominantes Cleris l. cit.* Quod si fortè officium Regium involvi dicas, cum *Petrus*, aliisq; Ecclesiæ Doctores pascere dicuntur, dixero contrà eodem jure, docendi etiam involvi officium, cum Reges itidem pascere perhibentur; Qualis inde confusio tandē promanaret?

§. 19. *Falsum* denique 3. consequens illud Majoris, eo quod inter oves *Petri* curæ ac rectioni commissas ipsos etiam recenseat Apostolos. Non pertinent hi sanè in illarum censum; Commisit saltem *Petro ὁ Ἀρχιποίμην* oves illas, quas non immediatè, sed hominum ministerio pascere constituit. Hujusmodi verò non sunt Apostoli; pavit illos potius immediate Dominus, ceu Petrum ipsummet. *Quod si hoc verùm, sequitur*, inquies, *omnes oves Christi Petro non esse commissas: Quî Ergo Christus pasce inquit, oves MEAS?* Rectè, inquam; Omnes *actu* non cōmisit Petro Christus oves; Neq; n dicit Pasce oves meas *omnes*, cum expressâ hâc notâ universali; sed *meas* saltem; *Meas*, easq; *nec omnes*, quia non Apostolos; *nec nullas*, quia sic esses Pastor sine grege, *nec quasdam*, aut *non quasdam definitè*, quia sic non esses Apostolus, sed *omnes indefinitè*, in quascunq; scilicet instinctu Spiritus S. incideris:

ris: Omnes *negativè*, quatenus non ut alii Episcopi certo loco alligaris; *omnes*, quoad *jus ubiq;* docendi, & plantandi Ecclesias; *omnes quoad scripta* & posteritati relinquenda ὑπομνήματα. *Non omnes*, ceu dixi *vivâ voce & actu*; Etenim hoc & impossibile fuisset *Petro*, nec actu unquam ab eo præstitum: *Nec est quod dicas, necessum non fuisse, ut Petrus vivâ voce & actu pasceret omnes Christi oves; sufficere, si per alios*, Apostolos cæteros sc. *si imperio*; Fruſtrà enim hoc dicitur; *Illud* sanè Petro nemo concessisset Apostolorum; Nec enim fontem missionis suæ hi agnoscebant, vel Petrum, vel quemvis aliùm, sed solum Christum idque immediatè; ἐκ ἀπ' ἀνθρώπων, ἐδὲ δι' ἀνθρώπων, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ, inquit *Paulus* Gal. 1. *Hoc* verò à naturâ pastionis Apostolicæ, quæ spiritualis erat, & organica, prorsus alienum. Hæc de *Pastoratu* Petri ad hunc locum; unde constat scopas esse dissolutas, & ex arenâ funiculum, quem hîc nectis *Raynaude*, ad CAPITIS Ecclesiæ dignitatem *Petro* præ *Paulo* asserendam;

§. 20. Pergamus ad *alterum*, quem huic fini affers, scripturæ locum, si vel isti aliquid insit roboris; *Tu es Petrus*, ve ba sunt illius apud Matth. c. 16, 18. *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non valebunt adversus illã.* Ad quæ ita cõmentaris; *Quotquot igitur*, inquis, *pertinent ad structuram domus Dei, suntq; lapides vivi Christo coædificati, necesse est, ut supra Petri fundamentum construantur, neq; D. Paulo, neq; aliis Apostolis exclusis ab eâ verborum illimitatione, & indefinitate, universali æquivalente*; Transeo hîc lubens, quæ de collatione *Ecclesiæ* cum domo, *fidelium* cum lapidibus, deq; spirituali domus hujus ædificatione ad textus illustrationem dici possen', cum abundè ea expediviſſe sciam in *Harmoniâ Evangelicâ* Doctores nostros cap. 85. p. m. 928. De ipso itaq; *fundamento* saltem, seu *Petra* hujus spiritualis domus Ecclesiæ scilicet, sollicitus ero, omnem datur9 operam.

Nec 2. è Petræ appellatione.

operam, ut constet cuivis, quis propriè per eam hîc intelligendus, *Petrus* ne, an verò *Christus* ipse? Ambiguè hac de re loqueris *Raynaude*, dum neutrum asseris, sed de Petri fundamento in genere dicis, quod suprà illud construantur, quotquot ad structuram domus Dei pertinent. Rectè feciſſes, si ſcapham ſcapham dixiſſes, & ſuprà *Petrum* tanquam *fundamentum* ſ. Petram, ædificatam Eccleſiam aſſeruiſſes; Aut n. hoc ſentis, aut à ſociennis tuis prorſus diſſentis, & fruſtrà hunc locum pro S. Petri ſuprematu producis; Et *hoc* te agniturum, *illud* verò ſi non palàm, tacitè tamen facturum, non dubito, ſi conſideraveris in hiſce verbis ἀπεστάλησαν 1. *Nominis, quæ hîc occurrit, variationē*: Non dicit hic Chriſtus, Tu es Petra, & ſuper te Petram; vel, tu es Petrus & ſuper te Petrum ædificabo &c. Sed tu es *Petrus*, & ſuper hanc *Petram*; *Dices quidem cum Bellarmino & Tannero aliisq; nullam hîc eſſe nominis variationem, cum Syriaca vox* כאפא *quâ Chriſtus uſus, mutationem non admittat.* Sed regero, 1. Non Syriacum, ſed Græcum textum Matthæi eſſe authenticum; Fuit quidem Syriaca locutio Chriſto familiaris, Græco tn. idiomate in deſcriptione & expreſſione illius hîc uſus, & ut plurimum aliàs Matthæus. Accedit 2. quod in ipsâ Syriaca locutione deprehendatur hîc inflexio non quidem vocis כאפא, ſed prænominum הרא & הו. Quid quod 3. ſine fraude vulgatæ verſionis nominis variationē hîc excludere non poſſis? Hæc n. diſertè, *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram*; Quod ſi in antecedēte *Petram* loco *Petri* ſubſtituere volueris, corriges vulgatam è Syriaco textu, adeòque hunc iſti præferes, quod tn. non credo facies, niſi in vulgatā veſtrā nimis eſſe volueris injurius, aut cum *Petro de Bollo* conqueri, malè hoc loco meritum de fide Romanenſi Latinum Interpretē. Agnoſce igitur hîc nominis variationem, & ex hâc non *Petrum* ſed *Chriſtum* hîc dici *Petram*; Et hoc deprehendes, ſi conſidera-

veris. 2. *Christi loquentis morem ac consuetudinem*; solebat ille gestu vocem juvare, & semetipsum digito inter loquendũ monstrare; Joh.2,19. ad Judæos dicens λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, fecit procul dubiò idipsum; Ita videtur omninò & hîc, cum *Petrum* appellasset, posteà seipsum digito reflexo monstrasse. atq; dixisse, super hanc Petram &c. quam tu confessus, à quâ tu denominatus Petrus &c. Unde rursum, non *Petrum*, sed *Christum* per *Petram* hîc intelligi sequitur. Nec hoc negare ullo poteris jure, si 3. *Paralleliam* condignè æstimaveris; *Petræ* non hîc modo, sed *alibi* sæpius scriptura mentionem facit; Deut. 32,18. *dicitur populus Dei, Petram; à quâ genitus, de reliquisse*; Quænam hæc Petra? Num *Petrus* fortè? Absit; de hoc n. ne fando quidem audiverat populus Dei, tantum abest, ut ab hoc fuerit genitus; Deus ipse, isq; solus per hanc Petram denotatur; docent id verba quæ statim subjuncta legis, *oblitus es Domini creatoris tui*; Eundem Petræ nomine salutat *Psalmista* sacer, cum Ps.18,3. *Dominus Petra mea*, inquit, *& refugium meum*; Confer Ps.31,3. & 73, 26. &c. *Paulus* 1. Cor. 10, 3. Petram ἀκολουθοῦσαν introducens similiter non de *Petro*, sed Deo & Christo agit. Nec ullibi in totâ Scripturâ s. hoc nomine venit *Petrus*; Quæ ergò malũ! demẽtia hîc loci per *Petram Petrum*, non *Christum* intelligere. cum tu hic non ille Petra populi Dei antiquitùs dictus? *Accedit*, quod non Petra modo, sed & *Fundamentum* non *Petrus* sed *Christus* à Sp.S. in Scripturâ appelletur passim; *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* inquit *Paulus* 1. *Cor.3*, 11. Nec est quod hîc distinguas inter *fundamentum primarium & secundarium, absolutum & subordinatum, totale & participatum*; *prius Christum*, *posterius Apostolos dicas, eò quod Ephes. 2, 20. dicamur superædificati super fundamentũ Apostolorũ & Prophetarũ*, & Apoc. 21, 14. *fundamentis* 12. *dicantur inscripta nomina Apostolorum*; Hinc enim

enim nec ullus *Petro* seorsim primatus, nec *Apostolis* in universum; Nam quæcunque hîc dicuntur, tâm de Apostolis reliquis, quam de Petro dicuntur; Fundamentum verò in neutro locorum citatorum dicuntur Apostoli; Eph. 2, 20. non dicimur superædificati *super Apostolos*, *qui* sunt fundamentum, sed super *Apostolorum fundamentum*; Quale hoc? non Apostoli sanè, sed *Christus* ipse; Ponunt hoc Apostoli, quatenus Christum docent nondum prædicatum h.e. Ecclesias plantant, Apoc. 21, 14. porrò non Apostoli dicuntur fundamentum, sed fundamentis dicuntur inscripta nomina Apostolorum, ex more ædificiorum, quibꝰ plerumq; architectorum nomina inscribuntur. Quod si hæc omnia & singula accuratiùs tecum reputaveris, non equidem invidebis communem D. *Catholicis*, quàm *Bellarm.* lib. 1. cap. 20. jactat sententiam, per *Petram* hanc *Petrum* intelligentibus, miraberis potius eorum *enormem in hac parte* à vero deviationem, eandemq; sincerè ac seriò averſaberis, & uno nobiscum ore *Christum* pro *Petrâ* hâc agnosces, ac confiteberis;

§. 21. Et hoc eò facies confidentius, quo plures in hoc tibi ex venerandâ Antiquitate vides prævios; Recenset eos prolixè *D. Calixtus* in harmoniâ s. Concordiâ 4. Evang. scriptorum pag. 267. & primò quidem *Ambrosium*, post *Augustinum*; Inde *Chrysostomum*, *Hieronymum*, *Gregorium M.* *Anshelmum*, *Bernhardum*, *Bedam*, & ex sequiore ætate *Dionysium Carthusianum*, *Smaragdum*, *Hugonem Cardinalem*, *Petrum de Alliaco* & alios. Quod si citata ex illis loca evolveris, miraberis accuratam eorum in orthodoxiâ ὁμοψηφίαν. Gloriatur quidem *Bellarminus lib. 1. de Pont. Rom. c. 10. Petram de Petro exponens, consentire sibi Ecclesiam universam & Græcorum & Latinorum Patrum*, sed justo insolentius; Nam ut de cæteris nihil hîc afferam, certè *Augustinus* dissensum suum passim apertè testatur; Præter ea quæ *lib. 1. Retract. c. 21. & lib. 2. de Trinit. c. 17.*

hanc in rem cõmentatur, notari cumprimis merentur, quæ, ſuper *Johannem tractat.* ult. proponit: *Eccleſia eſt fundata ſuper Petram*, inquit, *unde & Petrus nomen accepit: Non n. à Petro Petra, ſed à Petrà Petrus; ſicut non Chriſtus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus à Chriſto nomen accepit; Ideo quippe ait dominus, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Chriſtus filius Dei vivi, ſuper hanc ergò, inquit, Petram quam confeſſus eſt ædificabo Eccleſiam meam: Petra erat Chriſtus, ſuprà quod fundamentũ etiam ipſe ædificatus eſt Petrus; Fundamentum quippe nemo aliud poteſt ponere &c.* Hæc ibi *Auguſtinus;* Et nihilo tn. minus *Bellarminus* jactat conſenſum Eccleſiæ totius & Græcorum & Latinorum Patrum? Proh! quam impudẽter; Ægrè quidem hunc Auguſtini diſſenſum fert idem, ac propterea ob ignorantiam linguæ Hebraicæ & Syriacæ erroris hujus, ceu putat, originem *Auguſtinum* perſtringit, at hoc ipſo malæ ſuæ cauſæ malè patrocinatur, nec *Auguſtinũ* hîc erraſſe probat; Ignoraverit n. hîc *Hebraicam* & *Syriacam* linguam licet, ſatis quod *Græcam* non ignoraverit; ſatis, quod Analogiæ fidei tenax fuerit & amantiſſimus alioquin Auguſtinus: Potuit ergò de loci hujus etiam ſenſu vero, iſto nihil obſtante rectè judicare; Diſſentiunt quidem ab eo *Patrum* nonnulli, per *Petram* partim *Petrum*; partim *fideles*, partim *fidem Petri* intelligentes, propterea tamen cum *Bellarmino* non conſentiunt, quod ille ſibi perſuadet; Quinimò diſſenſus ille Patrum magis eſt verbalis quam realis; quotquot n. *Petrum* contendunt hîc vocari *Petram*, ut *Hieron.* in Epiſtolâ ad Marcellam & *lib. 1. adverſus Jovin.* & *Tertullian. lib. de præſcript. adv. hæret. non ſimpliciter cõſiderant Petrum ſed ratione doctrinæ ſeu officii, quatenus* ſc. *per verbi prædicationẽ Eccleſias plantavit:* At nihil inde primatus ad *Petrum*, cum eodem cum ipſo officio cæteri functi ſint Apoſtoli. *Qui verò* per *Petram confeſſionem* ſ. fidem Petri intelligunt, quod facit

cit *Chrysost.* serm. de Pentec. aliiq; nihil ipsi rursum peculiaris tribuunt præ cæteris Apostolis, cum omnium una fuerit fides, & confessio, quamvis hujus fuerit interpres Petrus. *Quotquot* deniq; *Petram de fidelibus* interpretantur, omnem hoc ipso præ hisce etiam primatum *Petro* derogant, ceu videre est ex *Greg. Nysseni* lib. de perfectione, & *Ambros.* lib. 6. in Lucam; Unde manifestum, *à literâ* quidem paululum deflectere *Patres*, quicunq; Petram aliter quam de Christo exponunt, non tn. *ab orthodoxiâ* statim, *cum in hoc consentiant, in hisce Christi de Petrâ verbis nihil contineri, quod Petrum Ecclesiæ Caput esse, eiq; absolutum in universam Ecclesiam dominatum, & jurisdictionis sive potestatis primatum competere evincat.* Et tantùm *de altero* etiam scripturæ loco, quem ad dignitatem Capitis Ecclesiæ *Petro* præ *Paulo* vindicandam adduxisti, eodem quo priorem, successu *Raynaude.*

§. 22. Adjungis hisce *alium* ex hoc ipso *Matth. 16, 19. p. 159. disputat.* tuæ, quem eundem *Sorbonistæ* etiam opponit *Rod. de Arriaga* in ejusdem confutatione. Existimat uterq; vestrum *Petrum*, quia *Christus* ad eum, *Tibi*, inquit, *dabo claves regni cælorum, jure meritoq; præ Paulo & reliquis Apostolis dici* CAPUT *Ecclesiæ visibile:* Fundamentum hujus erroris est *Clavium* harū *per summā Potestatem in omnem Ecclesiam*, s. *principatum Ecclesiasticum expositio* (quam *Catholicis* omnibus communem esse dicit *Bellarminus* lib. 1. *de Rom. Pontif. c. 13.*) earundemque soli *Petro* facta promissio. Quid si verò utramque falsissimam probaverim *Raynaude*? deseresne ita tuam pro Capite hocce tuo, *Petro* scilicet contentionem? utinam ad hoc tam esses promptus & facilis, quam ego ad illud ex verbo Dei, ceu ad πᾶν ἔργον ἀγαθον, sufficienter instructus! De *clavium* certè *sensu* ac significatione non est quod ambigamq; Subjunxit illam immediatè salvator ipse, optimus sui verbi interpres; unde, ut & ex Joh. 20, 23. liquet, per *claves nihil aliud accipiendū*

Nec 3. è clavium traditione.

quam ministeriũ ligandi & solvendi, vel retinendi & remittendi peccata. Quod ut eò clarius constet, distinguenda accuratè *clavis significatio formalis à materiali; Formalis est*, esse Instrumentum claudendi & reserandi conclavia, ligandi & solvẽdi seras, &c. & hæc cuivis competit clavi. *Materialis* juxta utentium subjecta variat. Nam vel incidit *in Regem*, cui tanquam victori devicta civitas eandem tradit, *& tum character est Imperii illius, subjectionisq; hujus signum*; vel *in Emptorem*, cui traditur ab eo, qui vendit illam, *& tum dominii acquisiti est indicium*; vel *denicq; in ærarii quæstorem, aut promicondum*, s. *Oeconomum*, cui à Republicâ, ac patrefamilias committitur: *atq; ita indubitata ministerii ac servitutis nota est*; Unde facilè apparet claves hasce *Petro* tributas non esse *Regias* aut *dominatrices*, sed *Oeconomicas* & *ministeriales* saltem; solus n. Christus est Rex & Dominus Ecclesiæ, unde *solus claudit nemine aperiente, & aperit nemine claudẽte per clavẽ Davidis* Apoc. 3, 7. possidet q; κλεῖς τ̃ ᾅδ̃ κ τ̃ θανάτ̃ Apoc 1, 18. *Petrus* a. συμπρεσβύτερ@ saltem est, κ μάρτυς τ̃ τ̃ Χριστ̃ παθημάτων, 1. Ep. 5, 1 vel ut *Paulus* loquitur ὑπηρέτης Χριστ̃ κ οἰκόνομ@ μυστηρίων θ̃ 1. Cor. 4, 1. *Nihil itaq; minus per claves ipsi tributas, quam principatus, aut summa in Ecclesiam potestas significatur.* Neq; n. sequitur, *Claves aliquando notant vim dominatricem; Ergò & hic*; si à subdito Principi hîc darentur, sequeretur quidem illud; jam v. nullatenus, cum Servo à Domino, Oeconomo à Patrefamilias tribuantur. *Esto tn. ita*; significetur inquam, per Claves hasce *Petro* promissas summa potestas, *Raynaude*; Nullus tn. ne sic quidem *Petro* præ reliquis Apostolis primatus potestativus competet; *Non n. Petro soli claves hæ offeruntur, sed omnibus juxtà cum illo Apostolis à servatore*; Liquet id è *contextu* evidenter; *Interrogat Christus omnes Apostolos, quemnam ipsum dicerent? Respondet ad hoc omniũ nomine Petrus; & communis fidei confessionem edit: Qui ergo illud*

lud, quod Christus ei vicissim de clavibus dicit, ad solum Petrum, & non ad omnes communiter Apostolos referretur? Imò Matth. 18,18. quod hîc soli *Petro* dixit, non Apostolis tantum, sed toti Ecclesiæ committit; Post verò omnibus hasce claves disertè tradit Joh. 20,22. Quamvis igitur *actus promissionis* hujus dirigatur ad solum *Petrum* hoc in loco, *rem* tamen *promissam* ad omnes simul Apostolos pertinere ex allatis indubitatò constat.

§. 23. Et hoc agnoscit vi veritatis ex Antiquitate *Origenes*, qui in h. l. *An soli*, inquit, *Petro dantur claves regni cœlorum, nec alius beatorum quisquam eas accepturus est? Quod si dictum hoc, tibi dabo claves regni cœlorum cæteris quoq; cõmune est, cur non simul omnia, & quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta sunt omnibus communia?* Consentit Augustinus lib. 1. de doctrinâ Christ. c. 18. cujus verba hæc sunt: *Has claves dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terrâ, soluta essent in cœlo, & quæ ligaret in terrâ, ligata essent in cœlo.* Idem in *Johannem* tract. ult. *Petrus Apostolus*, inquit, *propter Apostolatus primatum generalitate figuratâ gerebat personam Ecclesiæ;* Et paulò post; *Quando ei dictum est, Tibi dabo claves regni cœlorũ &c. universam significabat Ecclesiã, quæ in hoc seculo diversis tentationibus &c. quatitur, & non cadit, quoniã fundata est super Petrã.* Vides, non *Petro* soli, sed omnibus claves datas *Apostolis*, imò toti Eccl. docere *Patres* hosce *Catholicos*; Et hoc omnes veteres authores docere dicit *Maldonatus* ad h. l. p. 340. Quod si idem fortè tibi quoq; placuerit, *Raynaude*, non poterit tibi non primatus *Petri* præ reliquis Apostolis ex clavibus hisce fabricatus displicere, nisi tot primates, tot Capita Ecclesiæ, quot Apostolos agnoscere volueris. Nec est quod cum *Bellarmino lib. 1. de Roman. Pontif. c. 12. obvertas, loca illa*, quæ supra ex *Matthæo & Johanne*, ad idem circa potestatem clavium Apostolorum cæterorum cum *Petro* jus pro-

probandum adduximus, *non esse parallela, cum non de eâdem re loquantur; nam apud Joh. fieri restrictionem ad peccata, ibidemq; exstare verbum retinere, quod minus est quam ligare (illud enim est non solvere; hoc verò novum imponere vinculum per excommunicationem, præceptum, vel interdictum) apud Matthæum v. indeterminatè dici, quæcunque ligaveritis &c.* Facilis enim ad hæc *Responsio*; Nam *primò* certum est idem esse objectum ligationis, quod est clavium; Harum verò sola sunt peccata, ita ut his vel positis cœlum claudatur, vel sublatis idem aperiatur. Quod igitur Joh. 20. additur, id hic Matth. 16. intelligitur: *deinde*, sicut remittere actum positivum involvit, solutionem scilicet, sic retinere actum positivum ligationis infert; Evicta igitur spero, hoc pacto erit parallelia. *Raynaude*, cumq; hac frustanea hujus etiam dicti pro *Capite* tuo *Visibili* allegatio.

§. 24. Et hic omnis scripturæ locorum pro isto apparatq, quem jactas, *Anonymoq;* tuo confidēter opponis: quam verò elūbis ac imbecillis existat, non dubito quin abundè cōstet
Epilogus. æquo cuivis, cujus judicio rem omnem submittis, lectori è succinctâ hacce explicatione. Quicquid verò sit de judicio Lectoris, ego de scripturis hisce tuis, quas ad dignitatē CAPITIS Ecclesiæ *Petro* præ *Paulo* asserendam hic producis, ut rem in pauca conferam, ita judico *Raynaude, te sc. aqvam prius expumice, aut è lapide sanguinem expressurum, qvàm ex illis primatum PETRI Oecumenicum*, seu Capitis Ecclesiæ dignitatem: atque ut verbis tuis apprimè hic utar, *ne centum qvidem boum paria simul jugata trahendæ ex illis huic consequentiæ sufficere posse: imò, pertinere omnes tam ad rem, qvam Auster ad Boream.* De Patrum, Conciliorum, & Pontificum in hâc controversiâ testimonio ἐν παρέργῳ non ero sollicitus: *Horum*, planè repudio, cum rei sit in propriâ causâ; *Illorum* verò circa insignem *Pauli* & *Petri* in Ecclesiâ authoritatem non

non est quod improbem, cum hanc libenter admittam. Quod si verò fortè de *Petri* aut Pontificis *Monarchiâ* Rhetoricantur, meritò rejicio, cum scripturæ S. hoc ipso adversentur. Sed de *Patrum Conciliorumq;* in hâc controversiâ authoritate judicioq; prolixius & accuratius fortassis dissertatione peculiari. Sufficit mihi ἐν παρόντι domestica vestra de *Capite Ecclesiæ vestræ* litigia orbi Christiano exhibuisse, argumentisq; satis evidentibus & sufficientibus demonstrasse, *Notionem Capitis Mystici à Petro pariter & Paulo æquè esse alienã, atq; utrumq; titulo hocce magis gravari* (quæ tua de *Paulo* sunt verba) *quam honorari;* cum hoc ipso Ecclesia non modò reddatur mõstrosa, verum etiam Sp. S. insignis fiat injuria, dum talis ipsi in scripturâ sensus affingitur, quem diserte damnat ac detestatur. Quod ipsum si non agnoscis, vindicâ rationes tuas, & quas istis opposui si vir es, infringe *Raynaude;* Ante leves autem pascentur in æthere cervi, quam hoc præstabis; *Authoritatibus* Pontificum tuorum non est quod mecum certes; Neq; enim eas ceu dixi, admitto, cum de fide authores ipsi mihi sint suspecti. *Rationes* volo, easdemque non quascunque promiscue, sed fundamento solido, Verbo sc. Dei, innixas. Destituuntur isto plurimæ tuarum, & nescio cui innitũtur arundini? Quod ipsum si negare volueris, evolve quæso *disputationis* tuæ p. 198. ubi *quæris, Cur providente Deo S. Paulus non item S. Petrus reciso capite finierit vitam, sed integro potius corpore, capite deorsum verso cruci affixus hic exspirarit?* Distinguis hîc inter *consilium humanum* & *Divinum*. Isthoc attento, servili & turpissimo crucis supplicio *Petrum* cecidisse censes, eo quod habebatur persona vilis, & infimæ sortis, *Paulum* verò ense impacto occisum ob nobilitatem. *Aliud* fuisse hîc opinaris *consilium Divinum*; nimirum ut insinuaretur *B. Petrus* esse *Caput Ecclesiæ, Paulus* verò *Capitis minor*. Egregia scilicet ratiocinatio!

Paulo resectum Caput in supplicio mortis, *Petro* non item; Ergò *Petrus* non *Paulus* pro *Capite Ecclesiæ* agnoscendus. Risum teneatis amici; Nolo tales *inquam*, ejusdemq; farinæ argumentationes alias; sed firmas & scripturæ pondere gravidas. Quod si talibus fortè destitueris judicio tuo, valedic quæso visibili huic *Capiti*, & ad nostra transi castra, ubi Unicum Ecclesiæ suæ Verumq; Caput CHRISTUM JESUM eâ, quâ quidem fieri in hâc imbecillitate potest, sinceritate ac devotione exosculamur, ac veneramur, certi, quod ille sit corporis sui Mystici sufficientissimus moderator, A & Ω, Principium & FINIS.

ERRATA In Prolegom.

§. 2. *lin.* 10. *lege* c. 10. *lin.* 14. *l.* publicanus. *lin.* 35. *l.* βαπτισμῶ. §. 9. *lin. antepenult. l.* ἀρχιερεὺς. §. 16. *lin.* 6. *à fine l.* Apparatu. §. 22. *lin. ult. l.* φυρᾶνῦ.

In Tractatu ipso

Pag. 1. *lin.* 4. *lege* sirenas. *p.* 7. *lin.* 25. *l.* Leonem IX. *lin.* 31. *l.* putoribus. *p.* 13. *lin.* 3. *à fine l.* certas. *p.* 21. *lin.* 7. *l.* ὁμωνύμων. *p.* 27. *lin. ult. l.* c. 18. *p.* 30. *lin.* 20. *l.* c. 1. *lin.* 23. *l.* Johannes porro 22. in Extravagant: *p.* 31. *lin.* 18. *l.* iste? *p.* 35 *lin.* 17. *l.* corpus hìc. *p.* 37. *lin.* 11. *l.* offuciæ. *p.* 38. *lin.* 17. *l.* Venusq; *lin.* 29. *l.* Maximiani. *p.* 39. *lin.* 3. *l.* Maximiano. *p.* 40. *lin.* 22. *l.* misces. *p.* 47. *lin.* 25. *l.* Christo. *p.* 56 *lin.* 26. Pontific. libr. 1 *p.* 58. *lin.* 22. *l.* suo Petrum. *p.* 62. *lin. penult. l.* τὲς. *p.* 72. *lin.* 1. *l.* presbyteros. *p.* 86. *lin.* 3. *l.* Ann. 51. num. 32. seqq. *p.* 93. *lin. antepenult. l.* & Samuel. *p.* 95. *lin.* 3. *post* eundem *l.* Pontificem fuisse. *p.* 102. *lin.* 5. *l.* jure & curâ. *p.* 112. *in fine post* tecum *inseratur* ostendi. 2. Tuum etiam Petrum capite ab iisdē plecti demōstravi. *p.* 118. *lin.* 10. *post* quidē *l.* hoc verbi.

Cætera Benevolus Lector ipse corrigat pro humanitate suâ, & valeat in DOMINO, *cui Laus & perennis* GLORIA!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110206/phys_0202
DFG

obem, cum hanc libenter admittam,
de *Petri* aut Pontificis *Monarchiâ* Rhe-
ejicio, cum scripturæ S. hoc ipso ad-
Patrum Conciliorumq; in hâc controver-
cioq; prolixius & accuratius fortassis
ari. Sufficit mihi ἐν παρόδῳ domestica ve-
vestræ litigia orbi Christiano exhibuis-
s evidentibus & sufficientibus demon-
itis Mystici à Petro pariter & Paulo æquè esse
itulo hocce magis gravari (quæ tua de *Paulo*
orari; cum hoc ipso Ecclesia non modò
verum etiam Sp. S. insignis fiat injuria,
ripturâ sensus affingitur, quem disertè
ur. Quod ipsum si non agnoscis, vindi-
quas istis opposui si vir es, infringe *Ray-*
autem pascentur in æthere cervi, quam
horitatibus Pontificum tuorum non est
; Neq; enim eas ceu dixi, admitto, cum
mihi sint suspecti. *Rationes* volo, eas-
nque promiscue, sed fundamento soli-
nixas. Destituuntur isto plurimæ tua-
nitũtur arundini? Quod ipsum si nega-
quæso *disputationis* tuæ p. 198. ubi *quæ-*
eo S. Paulus non item S. Petrus reciso capite
tegro potius corpore, capite deorsum verso
arit? Distinguis hîc inter *consilium hu-*
thoc attento, servili & turpissimo cru-
cecidisse censes, eo quod habebatur
simæ sortis, *Paulum* verò ense impacto
tem. *Aliud* fuisse hîc opinaris *consilium*
ut insinuaretur *B. Petrus* esse *Caput Eccle-*
is minor. Egregia scilicet ratiocinatio!